

MISSÆ
PROPRIÆ

SOCIETATIS
SANCTI FRANCISCI SALESII
ET INSTITUTI
FILIARUM MARIAE AUXILIATRIXIS



**MISSÆ PROPRIÆ
SOCIETATIS
SANCTI FRANCISCI SALESII
ET INSTITUTI
FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS**

MISSÆ PROPRIÆ

SOCIETATIS
SANCTI FRANCISCI SALESII
ET INSTITUTI
FILIARUM MARIAE AUXILIATRICIS



SOCIETAS SANCTI FRANCISCI SALESII
ROMÆ MCMXC

© Copyright 1990 e distribuzione:
DIREZIONE GENERALE OPERE DON BOSCO
Via della Pisana, 1111
C.P. 9092
00163 ROMA



SEDES GENERALIS OPERUM SANCTI IOANNIS BOSCO

Prot. n. 87/1107

RECTOR MAIOR

Congregatio pro Cultu Divino die 24 iunii 1970 Instructionem *Calendaria particularia* edit de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis etiam a religiosis Familiis, ut peculiari honore Sanctos, qui ipsis magis essent proprii, prosequerentur (cf n. 1).

Huiusmodi obtemperans normis, quas eadem Congregatio litteris circularibus *Novo Calendario* mense februario 1974 opportunis declarationibus ditavit, Societas Sancti Francisci de Sales *Proprium* suum confecit, quod die 30 martii 1974 probatum seu confirmatum est.

Cum tamen id interea novis Sanctorum memoriis auctum esset, quarum nonnullæ in diem magis opportunum collocare oportuit, iterum ex toto recognoscendum fuit, ut rebus et forma novis accommodaretur renovationis conatibus, quos iuxta Concilii Vaticani II præcepta Familia Salesiana Sancti Ioannis Bosco perficiebat.

Commissio, quam nos ipsi instituimus, diu et sedulo operam suam navavit, novis textibus euchologicis additis, aliquot emendatis, reliquis autem funditus recognitis aptioribusque lectiōnibus biblicis auctis.

Operam perfectam atque a viris peritis nostræ religiosæ Familiæ felici iudicio coherestatam Rector Maior una cum Generali Consilio recognovit atque ad Congregationem pro Cultu Divino misit, quæ die 20 iulii 1989 italicam textuum propositorum versionem, die autem 6 aprilis 1990 ipsum latinum textum definitum, rite adprobavit.

Exstat igitur renovatum hoc *Proprium* aptum instrumentum ad digne celebrandas susceptas ecclesialis charismatis nostri divitias, ad Evangelium melius vivendum iuxta Sancti Ioannis Bosco mentem cum adolescentibus cumque universo populo Dei, ad exempla sequenda Sanctorum, qui veluti quoddam speculum manifestantur peculiaris illius sanctitatis, quæ ad Patrem ter Sanctum provocat. Potissimum autem hoc omnes habeant ut peropportunum adiutorium ad celebrandum Paschale Memoriale Domini, ad rite recolendam nostræ Familiaæ vigentem sanctitatem (*Rm* 11,16: “Si radix sancta, et rami”), atque ad eam persequendam per liturgiam cotidianæ vitæ.

Haec *Proprii* nostri editio præcedentem anno 1974 exaratam abrogat.

Sanctissima Trinitas, Auxiliatrix Dei et Ecclesiæ Mater, Sancti et Beati nostri, concedant ut, Spiritu imbuti, omnes Salesianæ Familiaæ sodales, “dilecti Dei, vocati sancti” (cf *Rm* 1,7), per meditationem atque usum liturgicorum textuum, qui nunc eduntur, totam vitam suam impendant ut “rationabile obsequium” (*Rm* 12,1) “in nomine Domini Iesu gratias agentes Deo Patri per ipsum” (*Col* 3,17).

D. Egidius Viganò⁹
Rector Maior

Romæ, die 15 mensis aprilis anno 1990

Dominica Paschæ, in Resurrectione Domini.



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. CD 148/90

SOCIETATIS S. FRANCISCI SALESII
ET INSTITUTI FILIARUM MARIÆ AUXILIATRICIS

Instante Reverendo Domino Aloisio Fiora, Societatis Sancti Francisci Salesii Procuratore Generali, de mandato Superioris Generalis eiusdem Societatis, litteris die 22 februarii 1990 datis, vigore facultatum huic Congregationi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, texum Proprii Missarum, lingua *latina* exaratum et huic Decreto adnexum, perlibenter probamus seu confirmamus.

In textu imprimendo inseratur ex integro hoc Decretum, quo petita confirmatio conceditur. Eiusdem insuper textus impressi duo exemplaria ad hanc Congregationem transmittantur. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 6 aprilis 1990.

Ludovicus Kada
Archiep. tit. Thibicen.
a Secretis

Eduardus Card. Martínez
Præfector

CALENDARIUM

Ubi non indicatur gradus liturgicus celebrationis,
tamquam **memoria facultativa** est habendus.

IANUARIUS

22 Beatæ LAURÆ VICUÑA, adulescentis.

Festum 24 Sancti FRANCISCI de SALES, episcopi et Ecclesiæ doctoris,
Titularis et Patroni Familiæ Salesianæ.

Sollemnitas 31 Sancti IOANNIS BOSCO, presbyteri,
“Patris et magistri iuventutis”.
Fundatoris Societatis sancti Francisci de Sales
et Instituti Filiarum Mariæ Auxiliatricis
necnon Cooperatorum Salesianorum.

FEBRUARIUS

1 In Commemoratione omnium Sodalium defunctorum
Societatis sancti Francisci de Sales.

MARTIUS

12 Beati ALOISII ORIONE, presbyteri.

MAIUS

Festum 6 Sancti DOMINICI SAVIO, adulescentis.

Festum 13 Sanctæ MARIÆ DOMINICÆ MAZZARELLO, virginis,
Confundatricis Instituti Filiarum Mariæ Auxiliaticis.

19 Sancti LEONARDI MURIALDO, presbyteri.

Sollemnitas 24 BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
titulo AUXILIUM CHRISTIANORUM
Patronæ principalis Instituti Filiarum Mariæ Auxiliaticis
necnon universæ Familiæ Salesianæ.

IUNIUS

Memoria 23 Sancti JOSEPH CAFASSO, presbyteri.

OCTOBER

24 Beati ALOISII GUANELLA, presbyteri.

Sollemnitas 25 In Anniversario Dedicationis ecclesiæ propriæ
(si dies certus ignoratur).

29 Beati MICHAELIS RUA, presbyteri.


NOVEMBER

13 Beatorum ALOISII VERSIGLIA, episcopi
et CALLISTI CARAVARIO, presbyteri.
Protomartyrum Salesianorum.

DECEMBER

5 Beati PHILIPPI RINALDI, presbyteri.
Fundatoris Instituti sacerularis “Volontarie di Don Bosco”.

MISSÆ PROPRIÆ



Die 22 ianuarii

Beatae LAURÆ VICUÑA adulescentis

ANT. AD INTROITUM

Ps 27 (26), 8

De te dixit cor meum: «Exquírite fáciem meam!».
Fáciem tuam, Dómine, exquíram.

COLLECTA

Deus, Pater imménsæ caritátis,
qui in adulescénte Laura ánni fortitudinem
cum innocéntiæ candore mirabiliter sociásti,
eius nobis intercessióne concéde,
ut árdua vitæ certámina fórtiter superántes,
promíssam mundis corde beatitudinem vivere
atque coram ómnibus testári valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sǽculórum.

Lectiones sumuntur ex Lectionario feriali; pro pastorali opportunitate autem etiam quæ sequuntur ad libitum proclamari possunt.

LECTIO PRIMA

Animam suam pro nobis posuit.

Léctio Epístulæ primæ beáti Ioánnis apóstoli

3, 13-16

Caríssimi: nolíte mirári si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transívimus de morte in vitam, quóniam dilígimus fratres; qui non díligit, manet in morte. Omnis, qui odit fratrem suum, homicída est, et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem.

In hoc nótivimus caritátem, quóniam ille pro nobis ánimam suam posuit; et nos debémus pro frátribus áimas pónere.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 34 (33), 2-3. 4-5. 6-7. 8-9

R. Laudáte púeri Dóminum.

Benedícum Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.

In Dómino gloriábitur áнима mea,
áudiant mansuéti et läténtur. R.

Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
Exquisívi Dóminum, et exaudívit me
et ex ómnibus terróribus meis eríput me. R.

Respícite ad eum, et illuminámini
et fácies vestræ non confundéntur.
Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatióibus eius salvávit eum. R.

Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum
et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo. R.

ALLELUIA

Cf Io 13, 34

R. Allelúia, allelúia.

**Mandátum novum do vobis,
dicit Dóminus,
ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos.**

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

15, 9-17

In illo tempore: Dixit Iesus discípulis suis: «Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos; manéte in dilectione mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei præcépta servávi et máneo in eius dilectione. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Hoc est præcéptum meum, ut diligatis ínvicem, sicut diléxi vos; maiorem hac dilectionem nemo habet, ut ánimam suam quis ponat pro amicis suis. Vos amíci mei estis, si feceritis, quæ ego præcípicio vobis. Iam non dico vos servos, quia servus nescit quid facit dóminus eius; vos autem dixi amícos, quia ómnia, quæ audívi a Patre meo, nota feci vobis.

Non vos me elegístis, sed ego elégi vos et pósui vos, ut vos eatis et fructum afferáti, et fructus vester máneat, ut quodcúmque petíeritis Patrem in nōmine meo, det vobis.

Hæc mando vobis, ut diligatis ínvicem».

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 127-128.

SUPER OBLATA

Súscipe, Pater sancte, nostræ láudis oblatiōnem,
sicut párvulæ Lauræ vitæ donum accípere dignátus es;
atque per huius sacrificiī virtútem,
renovátum propósitum nostrum sústine,
ut tibi ánimo læto et sollícita mente serviámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*De actione Sanctorum»*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens æténe Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim Sanctórum tuórum confessióne mirábili
Ecclésiam tuam nova semper virtúte fecúndas,
nobisque certíssima præbes tuæ dilectionis indícia.
Sed étiam, ad mystéria salútis implénda,
et ipsórum insígni incitámur exémplo
et pia intercessióne perpétuo commendámur.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua.

Hosánnā in excélsis.

Benedictus qui venit in nómine Dómini.

Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM**Cf Io 14, 21b.23b**

Qui díligit me, diligétur a Patre meo
et ad eum veniémus
et mansiónem apud eum faciémus — dicit Dóminus —.

Vel:**Io 15, 9**

Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos;
manéte in dilectióne mea.

POST COMMUNIONEM

Quásumus, omnípotens Deus, ut panis vitæ,
qui adulescéntem Lauram
refécit et sustinuit in spiritálibus augmén-
tis,
nobis novas virtútes infundat
in cotidiáno exercítio evangélicæ caritátis.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 ianuarii

Sancti FRANCISCI DE SALES episcopi et Ecclesiæ doctoris Titularis et Patroni Familiæ Salesianæ

Festum.

Ubi celebratur gradu sollemnitatis (quia Titularis ecclesiæ vel oratorii publici de-dicatorum vel benedictorum) proclamantur tres lectiones et dicitur Credo

ANT. AD INTROITUM

Cf Sir 39, 8b.10a.14

Spíitu intellegéntiæ replévit illum Dóminus,
et ipse diréxit consílium eius et disciplínam;
sapiéntiam eius enarrábunt gentes
et laudem eius enuntiábit Ecclésia.

Dicitur Gloria in excelsis.

COLLECTA

Deus, qui ad animárum salútem
beátum Francíscum epíscopum
ómnibus ómnia factum esse voluísti,
concéde propítius, ut, eius exémplo,
tuæ mansuetúdinem caritátis
in fratrum servítio semper ostendámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Vel, pro religiosis:

Omnipotens et misericors Deus,
qui beatum Franciscum episcopum,
pastorali zelo et amabili doctrina praeditum,
in Ecclesia suscitasti, praesta, quasumus,
ut qui adulescentium apostoli in messem tuam mittimur,
eadem fulgeamus evanglica caritate.

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

LECTIO PRIMA

Quae desursum est sapientia, pudica est, pacifica, plena misericordia.

Lectio Epistulae beati Iacobi apostoli

3, 13-18

Carissimi: quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quod si zelum animarum habetis et contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica; ubi enim zelus et contentio, ibi inconstancia et omne opus pravum.

Quae autem desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione; fructus autem iustitiae in pace seminatur facientibus pacem.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 34 (33), 2-3. 4-5. 6-7. 8-9

R. Beatus vir qui sperat in Domino.

Benedic Dominum in omni tempore,
semper laus eius in ore meo.

In Domino glorabitur anima mea,
audiant mansueti et latenter. R.

Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
Exquisívi Dóminum, et exaudívit me
et ex ómnibus terróribus meis eríput me. **R.**

Respícite ad eum, et illuminámini
et fácies vestræ non confundéntur.
Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatióibus eius salvávit eum. **R.**

Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum
et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo. **R.**

ALLELUIA

Cf Io 10, 14

R. Allelúia, allelúia.

Ego sum pastor bonus, dicit Dóminus;
et cognósco meas, et cognóscunt me meæ.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.



Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

10, 11-16

In illo témpore dixit Iesus: «Ego sum pastor bonus: bonus pastor ániam suam ponit pro óvibus; mercennárius et, qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimítit oves et fugit — et lupus rapit eas et dispérgit — quia mercennárius est, et non périnet ad eum de óvibus.

Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ, sicut cognóscit me Pater, et ego cognósco Patrem; et ániam meam pono pro óvibus. Et alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient et fient unus grex, unus pastor».

Verbum Dómini.

Ubi celebratur gradu sollemnitatis, additur prima lectio quæ sequitur, cum psalmo responsorio:

LECTIO PRIMA

Pereuntem requiram et errantem reducam.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ

34, 11-16

Hæc dicit Dóminus Deus: «Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in medio óvium suarum dissipatárum, sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis.

Et edúciam eas de pópolis et congregábo eas de terris et indúcam eas in terram suam et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ. In páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscua earum; ibi requiéscet in herbis viréntibus et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel.

Ego pascam oves meas et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram et, quod eiéctum erat, redúciam et, quod confractum fúerat, alligábo et, quod infírmum erat, consolidábo et, quod pingue et forte, custódiam et pascam illas in iudício».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 23 (22), 1-3a. 4. 5. 6

R. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.

Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:
in páscuis viréntibus me collocávit,
super aquas quiétis edúxit me,
ánimam meam refécit. R.

Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis,
non timébo mala, quóniam tu mecum es.
Virga tua et báculus tuus,
ipsa me consoláta sunt. R.

Parásti in conspéctu meo mensam
advérsus eos, qui tríbulant me;
impinguásti in óleo caput meum,
et calix meus redúndat. R.

Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me
ómnibus diébus vitæ meæ,
et inhabitábo in domo Dómini
in longitúdinem diérum. R.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 129-130.

SUPER OBLATA

P er hanc salutárem hóstiam,
quam tibi offérimus, Dómine,
cor nostrum divíno illo Sancti Spíritus igne succénde,
quo mitíssimum beáti Francísci
ánimum mirabíliter inflammásti.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*Sanctitatis magister*»

- V. Dóminus vobíscum.
- R. Et cum spíritu tuo.
- V. Sursum corda.
- R. Habémus ad Dóminum.
- V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grato magnificáre præcónio,
Dómine, sancte Pater, omnípotens æténe Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia inter pastóres beátum Francíscum
in Ecclésia tua ita aggregáre voluísti
ut pietátis áuctor, doctor mirumque præésset exéplum,
ad faciliórem ómnibus sternéndam sémitam sanctitátis.

Tui enim Spíritus replétus dulcédine
ad pæniténtiam peccatóres addúxit,
et ad restaurándam in Christo credéntium unitátem insudávit
in vínculo caritátis et pacis.

Unde et nos in exultátione festántes
cum Angelis et Sanctis caritátis tuæ
glóriam confitémur canéntes (dicéntes):

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Io 10, 14.15b

Ego sum pastor bonus et cognόsco meas,
 et cognόscunt me meæ,
 et ánimam meam pono pro óvibus — dicit Dóminus —.

POST COMMUNIONEM

Concέde, quásumus, omnípotens Deus,
 ut, per sacraménta quæ súmpsimus,
 beáti Francíisci caritátem et mansuetúdinem imitántes in terris,
 glóriam quoque consequámur in cælis.
 Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus, Pater omnípotens,
 qui (*hódie*) nos convocávit ad celebrándam
 sancti Francísci festivitátem (*sollemnitátem*),
 confírmet vos in caritáte et pace.

R. Amen.

Christus Dóminus, qui in beáto Francíscico
 Ecclésiæ trádidit indústriæ caritatis exémplar,
 pastorémque bonum et fidélem,
 Evangélii veros testes vos reddat.

R. Amen.

Spíritus Paráclitus,
 qui in epíscopo Francíscoco suæ largítatis dona diffúdit,
 ut christiánam plebem in sanctitatis dúceret sémitas,
 idóneos vos fáciat ad eius servánta præcépta.

R. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
 Pater, et Fílius, ✡ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Die 31 ianuarii

**Sancti IOANNIS BOSCO presbyteri
Patris et magistri iuventutis
Fundatoris
Societatis Sancti Francisci de Sales
et Instituti Filiarum Mariæ Auxiliatricis
necnon Cooperatorum Salesianorum**

Sollemnitas.

Ubi ratio pastoralis id consultit, si sollemnitas occurrit in feriis, transferri potest in dominicis diebus Temporis per annum, adhibito formulario proprio in omnibus Missis cum populi concursu.

ANT. AD INTROITUM

Cf 1 Reg 5, 9

Sapiéntiam dedit illi
et prudéntiam multam nimis et latitudinem cordis,
quasi arénam, quæ est in lítore maris.

Vel:

Ps 34 (33), 12.6a

Veníte filii, audíte me, timórem Dómini docébo vos.
Respícite ad eum et illuminámini.

Dicitur Gloria in excelsis.

COLLECTA

Deus, qui beátum Ioánnem presbýterum,
adulescéntium patrem et magístrum excitásti,
ac per eum, auxiliatríce Vírgine María,
Ecclésiam tuam decorári voluísti,
concéde, quáesumus, ut eodem caritátis igne succénsi,
ánimas quárere tibíque soli servíre valeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

LECTIO PRIMA

Suscitabo super eas pastorem unum.

Léctio libri Ezechiélis prophétæ

34, 11-12.15-16.23-24.30-31

Hæc dicit Dóminus Deus: «Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in medio óvium suarum dissipatárum, sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis.

Ego pascam oves meas et ego eas accubáre faciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram et, quod eiéctum erat, redúcam et, quod confráctum fúerat, alligábo et, quod infírmum erat, consolidábo et, quod pingue et forte, custódiam et pascam illas in iudício.

Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servum meum Da-víd; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastórem. Ego autem Dóminus ero eis in Deum, et servus meus David princeps in médio eorum. Ego Dómi-nus locútus sum.

Et scient quia ego Dóminus Deus eorum cum eis, et ipsi pópulus meus do-mus Israel, ait Dóminus Deus. Vos autem grex meus, grex pascuæ meæ vos, et ego Dóminus Deus vester», dicit Dóminus Deus.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ier 31, 7b. 9b. 10. 20

R. Caritáte perpétua dilexísti nos.

Exsultáte in lætitia propter Iacob
et hínnite cápti géntium;
personáte, cánite et dícite:
«Salva, Dómine, pópulum tuum, reliquias Israel». R.

Ego addúcam eos per torréntes aquárum
in via recta, et non impíngent in ea,
quia factus sum Israéli pater,
et Ephraim primogénitus meus est. R.

Audíte verbum Dómini, gentes,
et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt, et dícite:
Qui dispérsit Israel, congregábit eum
et custódiet eum sicut pastor gregem suum. R.

Estne fílius honorábilis mihi Ephraim
aut puer delectábilis.
Idcírco conturbáta sunt víscera mea super eum:
míserans miserébor eius. R.

LECTIO SECUNDA

Quæ audistis et vidistis in me, hæc agite.

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Philippenses

4, 4-9

Fratres: gaudéte in Dómino semper. Iterum dico: Gaudéte! Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus. Dóminus prope. Nihil sollíciti sitis, sed in ómnibus oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiet corda vestra et intellegéntias vestrás in Christo Iesu.

De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque iusta, quæcúmque casta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus et si qua laus, hæc cogitáte; quæ et didicístis et accepístis et audístis et vidístis in me, hæc ágite; et Deus pacis erit vobíscum.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Cf Io 13, 15

R. Allelúia, allelúia.

**Exéplum dedi vobis, dicit Dóminus,
ut, quemádmodum ego feci vobis, et vos faciátis.**

R. Allelúia.**EVANGELIUM**

Qui suscepérít parvulum in nomine meo, me suscipit.

**Léctio sancti Evangélii secúndum Mattháeum**

18, 1-6.10

In illa hora accessérunt discípuli ad Iesum dicéntes: «Quis putas maior est in regno cælórum?». Et ádvocans párvulum, státuit eum in médio eórum et dixit: «Amen dico vobis: Nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est maior in regno cælórum. Et, qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo eius et demergátur in profún-dum maris. Vidéte, ne contemnátis unum ex his pusíllis; dico enim vobis quia ángeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est».

Verbum Dómini.**ORATIO UNIVERSALIS:** cf pp. 131-132.**SUPER OBLATA**

Súscipe, Dómine, oblatiónem
quam tibi sincéra deférimus pietáte,
et præsta ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes,
in gloriæ tuæ laudem vívere mereámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*S. Ioannes Bosco, donum Dei erga Ecclesiam»*

- V. Dóminus vobíscum.
- R. Et cum spíitu tuo.
- V. Sursum corda.
- R. Habémus ad Dóminum.
- V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
tuámque glóriam confitéri,
omnípotens et miséricors Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tua enim cáritas imménsa
in Ecclésia sanctum Ioánnem suscitávit
ut adulescéntibus amícus,
frater et pater exhiberétur
in viam salútis ætérnæ.

Eumque prophético intúitu imbúere voluísti,
ut nova proles novis vitæ necessítatibus æquarétur
per honéstam sapiéntiam et operósam fidem.

Spíitu tuo motus magnam apparávit famíliam,
quæ toto orbe prosequerétur
eius munus in adulescéntes magístri et patris.

Et ideo in exsultatióne festántes
cum Angelis et Sanctis caritatis tuæ
glóriam confitémur canéntes (dicéntes):

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedictus qui venit in nómine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Mt 18, 5

Qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo,
me súscipit, dicit Dóminus.

Vel:

Io 15, 12

Hoc est præcéptum meum,
ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

POST COMMUNIONEM

Córporis et Ságuinis tui, Dómine, mystério satiátis,
concéde quásumus,
ut sancti Ioánnis apostólicam imitántes navitátem,
ad Christi Fílii tui caritátem, vitæ novæ inhexáustum fontem,
adulescéntes addúcere valeámus.
Qui vivit et regnat in sácula sáculórum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Dóminus, boni consílii inspirátor,
sua vos iúgiter tueátur grátia
ut fidéles efficiámini promissiónibus baptísmi.

R. Amen.

Christus pastor bonus,
concédat vobis, ut nostri (vestri) sancti Fundatóris exémplo,
frátribus lætántes ministrétis.

R. Amen.

Qui de festivitaté sancti Ioánnis lætámini,
Deo adiuvánte,
in fide spe et caritaté incédere possítis.

R. Amen.

Benedícet vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Die 1 februarii

In Commemoratione omnium Sodalium defunctorum Societatis sancti Francisci de Sales

Hæc commemoratio omittitur si in dominicam incidit, nec transferri potest in aliam diem.

ANT. AD INTROITUM

Omnès nos qui credídimus
quod Iesus mórtuus est et resurréxit,
cum ipso vivémus in claritaté Dei,
et sic semper cum Dómino érimus in regno,
quod fidélibus parávit servis.

COLLECTA

Deus, infinítæ misericórdiæ Pater,
ætérnam tríbuens beatitúdinem
regnum cælórumb ante ómnia quæréntibus,
concéde, quæsumus, ut fratres nostri (Salesiáni) defúncti,
qui vitam suam impendérunt Evangélium nuntiántes
et sémitam sectántes Sancti Ioánnis, vultum tuum contempléntur,
atque nos in fide, spe et caritaté
iter ad te iúgiter prosequámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitaté Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sæculórum.

LECTIO PRIMA

Dominus præcipitabit mortem in sempiternum.

Léctio libri Isaíæ prophétæ

25, 6-8a.9

In die illa: faciet Dóminus exercítuum
ómnibus pópolis in monte hoc
convívium pínguium,
convívium vini meri,
pínguium medullatórum,
vini deliquáti.

Et præcipitábit in monte isto
fáciem vínculi collígati super omnes pópolos
et telam, quam ordítus est super omnes natiónes.

Præcipitábit mortem in sempitérnum
et abstérget Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie
et opprórium pópuli sui áuferet de univérsa terra.

Et dicétur in die illa: «Ecce Deus noster iste,
exspectávimus eum, ut salváret nos;
iste Dóminus, sustinúimus eum:
exsultábimus et lætabimur in salutári eius».

Verbum Dómini.

Vel:

LECTIO PRIMA

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti.

Léctio Epístulæ ad Hebráeos

11, 1-3.8-10.13-16

Fratres: est autem fides sperandórum substántia, rerum arguméntum non
apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt seniores.

Fide intellégimus aptáta esse sácula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibília
facta sint.

Fide vocátus Abraham oboédívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem, et exívit nésciens quo iret.

Fide peregrinátus est in terra promissiónis tamquam in aliéna in cásulis habítando cum Isaac et Iacob, coherédbus promissiónis eiúsdem; exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem, cuius ártifex et cónditor Deus.

Iuxta fidem defúncti sunt omnes isti, non accéptis promissiónibus, sed a longe eas aspiciéntes et salutántes, et confiténtes quia peregríni et hóspites sunt supra terram: qui enim hæc dicunt, signíficant se pátriam inquirere. Et si quidem illíus meminíssent, de qua exíerant, habébant útique tempus reverténdi; nunc autem meliórem áppetunt, id est cæléstem. Ideo non confunditur Deus vocári Deus eórum, parávit enim illis civitátem.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 122 (121), 1-2. 4-5. 6-7. 8-9

R. In domum Dómini lætáentes íbimus.

Lætátus sum in eo quod dixérunt mihi:

«In domum Dómini íbimus».

Stantes iam sunt pedes nostri
in portis tuis, Ierúsalem. R.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini,
testimónium Israel, ad confiténdum nómini Dómini.
Quia illic sedérunt sedes ad iudícium,
sedes domus David. R.

Rogáte, quæ ad pacem sunt Ierúsalem:

«Secúri sint diligéntes te!

Fiat pax in muris tuis,
et sécuritas in túrribus tuis!». R.

Propter fratres meos et próximos meos
loquar: «Pax in te!».

Propter domum Dómini Dei nostri
exquíram bona tibi. R.

ALLELUIA

Cf Mt 24, 46

R. Allelúia, allelúia.

Beátus ille servus,
quem cum vénerit dóminus eius invénerit vigilántem.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

12, 35-48

In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: «Sint lumbi vestri præcincti et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apérianter ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus invénerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília et si in tértia vigília vénerit et ita invénerit, beáti sunt illi. Hoc autem scítote quia, si sciret pater famílias qua hora fur veníret, non sínaret pérfodi domum suam. Et vos estótate paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit».

Ait autem Petrus: «Dómine, ad nos dicis hanc parábola an et ad omnes?». Et dixit Dóminus: «Quis putas est fidélis dispensátor et prudens, quem constítuet dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cum vénerit dóminus eius invénerit ita faciéntem. Vere dico vobis: Supra ómnia, quæ póssidet, constítuet illum. Quod si díixerit servus ille in corde suo: "Moram facit dóminus meus veníre", et cœperit percútere púeros et ancíllas et édere et bíbere et inebriári, véniat dóminus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua nescit, et dívidet eum partémque eius cum infidélibus ponet. Ille autem servus, qui cognóvit voluntátem dómini sui et non præparávit vel non fecit secúndum voluntátem eius, vapulábit multis; qui autem non cognóvit et fecit digna plagis, vapulábit páucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæréatur ab eo, et cui commendavérunt multum, plus petent ab eo».

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 133-134.

SUPER OBLATA

Hæc nostræ reconciliatiōnis hóstia
 tríbuat frátribus nostris, quæsumus, Dómine,
 peccatórum véniam et ætérmam lucem
 ut, qui ániam suam posuérunt pro adulescéntium salútem,
 vitam consequántur ætérmam.
 Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*De vita terrena ad gloriam cælestem»*

- V. Dóminus vobíscum.
- R. Et cum spíritu tuo.
- V. Sursum corda.
- R. Habémus ad Dóminum.
- V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
 nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
 Dómine, sancte Pater, omnípotens æténe Deus.

Cuius império násdimur, cuius arbitrio régimur,
 cuius præcépto in terra, de qua sumpti sumus,
 peccáti lege absolvimur.
 Et, qui per mortem Fílli tui redémpti sumus,
 ad ipsíus resurrectiōnis glóriam
 tuo nutu excitámur.

Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
 hymnum laudis tibi cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
 Pleni sunt cæli et terra glória tua.
 Hosánnā in excélsis.
 Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
 Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Lc 12, 36-37a

Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum,
 quando revertátur a núptiis,
 ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apérian te.
 Beáti servi illi,
 quos cum vénerit dóminus invénerit vigilántes.

POST COMMUNIONEM

Præsta, quás sumus, omnípotens et misericors Deus,
 ut ánime fratrum, pro quibus hoc sacrificium laudis
 tuæ obtúlimus maiestáti,
 per huius virtútem sacraménti,
 mercédem recipiant sempitérnam,
 quam operáriis promisísti laborántibus in vínea tua.
 Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Benedícat vos Deus totius consolatiónis,
 qui hóminem ineffábili bonitáte creávit,
 et in resurrectiōne Unigéniti sui
 spem credéntibus resurgéndi concéssit.

R. Amen.

Nobis, qui vívimus, véniam tríbuat pro peccátis,
 et ómnibus defúnctis locum concédat lucis et pacis.

R. Amen.

Ut omnes cum Christo sine fine felíciter vivámus,
 quem resurrexisse a mórtuis veráciter crédimus.

R. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
 Pater, et Fílius, ✕ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Die 12 martii

Beati ALOISII ORIONE presbyteri

COLLECTA

Deus, qui beáto Aloísio, presbýtero,
Unigénitum tuum in egénis dilígere
et iúvenes ad pietátem et christiánam vitam
institúere tribuísti,
concéde, quásimus,
ut eius exémpla sectántes,
et nos misericórdiæ opéribus abundémus
atque caritátis Christi testes in mundo inveniámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Lectio nuncupatio ex Lectionario feriali.

ORATIO UNIVERSALIS: cf p. 135.

Die 6 maii

Sancti DOMINICI SAVIO adulescentis

Festum.

Ubi celebratur gradu sollemnitatis (quia Titularis ecclesiæ vel oratorii publici dedicatorum vel benedictorum) proclamantur tres lectiones et dicitur **Credo**; dummodo tamen non transferatur in diebus dominicis Temporis Paschalis.

ANT. AD INTROITUM

Cf Ap 14, 5.4b

Gaudeámus omnes in Dómino
diem festum celebrántes beáti Domínici,
qui Agnum séquitur sine mácula, quocúmque abíerit:
primítiae Deo et Agno.

Dicitur Gloria in excelsis.

COLLECTA

Bonórum fons et largítor, Deus, qui in sancto Domínico
mirábile adulescéntibus pietátis ac puritátis exémplar dedísti,
præsta quásimus,
ut in lætítia tibi serviéntes,
usque ad plenitúdinem Christi Fílli tui succréscere valeámus.
Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Vel, pro religiosis:

Fons vitæ, Deus, et omnis lætitiæ largítor,
 qui sanctum Domínicum in Ecclésia tua
 signum spei et sanctitatis exémplar adulescéntibus tradidísti,
 concéde propítius,
 ut ipsi casto córpore ac mundo corde succréscant,
 atque institutóres ad Christi regnum ædificándum eosdem addúcant.
 Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
 per ómnia sǽcula sǽculórum.

LECTIO PRIMA

Omnia probate, quod bonum est tenete.

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Thessalonicénses 5, 12-24

Rogámus vos, fratres, ut novéritis eos, qui labórant inter vos et præsunt vobis in Dómino et monent vos, ut habeátis illos superabundánter in caritaté propter opus illórum. Pacem habéte inter vos.

Hortámur autem vos, fratres: corrípite inquiétos, consolámini pusilláni-mes, suscípite infírmos, longánimes estóte ad omnes. Vidéte, ne quis malum pro malo alícuí reddat, sed semper, quod bonum est, sectámini et in ínvicem et in omnes. Semper gaudéte, sine intermissióne oráte, in ómnibus grátias ágite; hæc enim volúntas Dei est in Christo Iesu erga vos. Spíritum nolíte exstínguere, prophetías nolíte spérnere; ómnia autem probáte, quod bonum est tenéte, ab omni specie mala abstínéte vos.

Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia, et ínteger spíritus vester et áнима et corpus sine queréla in advéntu Dómini nostri Iesu Christi ser-vétur. Fidélis est, qui vocat vos, qui étiam fáciet.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 119 (118), 9-10. 11-12. 129-130. 165-166

R. Beáti qui ámbulant in lege Dómini.

In quo mundábit adulescéntior viam suam?
 In custodiéndo sermónes tuos.
 In toto corde meo exquisívi te,
 ne erráre me fácias a præcéptis tuis. R.

In corde meo abscóndi elóquia tua,
 ut non peccem tibi.
 Benedíctus es, Dómine;
 doce me iustificatiónes tuas. R.

Mirabília testimónia tua,
 ídeo servávit ea ánima mea.
 Declarátio sermónum tuorum illúminat
 et intelléctum dat párvulis. R.

Pax multa diligéntibus legem tuam,
 et non est illis scándalum.
 Exspectábam salutáre tuum, Dómine,
 et præcépta tua feci. R.

ALLELUIA

Io 6, 35

R. Allelúa, allelúa.

Ego sum panis vitæ, dicit Dóminus.
 Qui venit ad me, non esúriet;
 et, qui credit in me, non sitiet umquam.

R. Allelúa.

EVANGELIUM

Est puer hic, qui habet quinque panes et duos pisces.


Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 6, 1-15

In illo témpore, ábiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Súbiit autem in montem Jesus et ibi sedébat cum discípulis suis.

Erat autem próximum Pascha, dies festus Iudæórum. Cum sublevásset ergo óculos Jesus et vidísset quia multitúdo magna venit ad eum, dicit ad Philíppum: «Unde emémus panes, ut mandúcent hi?». Hoc autem dicébat tentans eum; ipse enim sciébat quid esset factúrus. Respóndit ei Philíppus: «Ducentórum denariórum panes non suffíciunt eis, ut unusquisque módi-cum quid accípiat!». Dicit ei unus ex discípulis eius, Andréas frater Simónis Petri: «Est puer hic, qui habet quinque panes hordeáceos et duos pisces; sed hæc quid sunt propter tantos?». Dixit Jesus: «Fácite hómines di-scúmbere».

Erat autem fenum multum in loco. Discubuérunt ergo viri número quasi quinque mília. Accépit ergo panes Jesus et, cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus, simíliter et ex píscibus, quantum volébant. Ut autem im-pléti sunt, dicit discípulis suis: «Collígite, quæ superavérunt, fragmén-ta, ne quid péreat». Collegérunt ergo et implevérunt duódecim cóphinos frag-mentórum ex quinque pánibus hordeáceis, quæ superfuérunt his, qui man-duca-vérunt.

Illi ergo hómines, cum vidíssent quod fécerat signum, dicébant: «Hic est vere prophéta, qui venit in mundum!». Jesus ergo, cum cognovísset quia ventúri essent, ut ráperent eum et fácerent eum regem, secéssit íterum in montem ipse solus.

Verbum Dómini.

Vel:

ALLELUIA

Cf Phil 2, 15b-16a

R. Allelúia, allelúia.

Lucéte sicut luminária in mundo,
verbum vitæ continéntes.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Estote parati.



Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

12, 35-40

In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: «Sint lumbi vestri præcincti et lucérnæ ardéntes, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apérianter ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus invénerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in sécunda vigília et si in tértia vigília vénerit et ita invénerit, beáti sunt illi.

Hoc autem scítote quia, si sciret pater famílias qua hora fur veníret, non sínernet pérfodi domum suam. Et vos estótē paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis venit».

Verbum Dómini.

Ubi celebratur gradu sollemnitatis, additur prima lectio quæ sequitur, cum psalmo responsorio:

LECTIO PRIMA

Stabant in circuitu throni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli

7, 9-17

Ego Ioánnes vidi: et ecce turba magna, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópolis et linguis stantes ante thronum

et in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmæ in máníbus eórum; et clámant voce magna dicéntes: «Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno».

Et omnes ángeli stabant in circúitu throni et seniórū et quáttuor animálium, et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas et adoravérunt Deum dicéntes:

«Amen! Benedíctio et glória et sapiéntia et gratiárum actio et honor et virtus et fortitúdo Deo nostro in sácula sáculórum. Amen».

Et respóndit unus de senióribus dicens mihi: «Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt?». Et dixi illi: «Dómine mi, tu scis». Et dixit mihi: «Hi sunt qui veniunt de tribulatióne magna et lavérunt stolas suas et dealbavérunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei et sérviunt ei die ac nocte in templo eius; et, qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient ámplius neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol neque ullus æstus, quóniam Agnus, qui in médio throni est, pascet illos et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérgat Deus omnem lácrimam ex óculis eórum».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps (24) 23, 1-2. 3-4. 5-6

R. Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

Dómini est terra et plenitúdo eius,
orbis terrárum et qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária fundávit eum
et super flúmina firmávit eum. R.

Quis ascéndet in montem Dómini,
aut quis stabit in loco sancto eius?
Innocens máníbus et mundo corde,
qui non levávit ad vana ániam suam,
nec iurávit in dolum. R.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino
et iustificatióne a Deo salutári suo.
Hæc est generátio quæréntium eum,
quæréntium fáciem Dei Iacob. R.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 136-137.

SUPER OBLATA

Salutáris hóstia, quam tibi offérimus, Dómine,
seráphico nos inflámmet ardóre,
quo sanctus Domínicus veheménter æstuávit.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*Docilis Spiritui Sancto in læta sanctitate»*

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus.

Qui in sanctórum concílio celebráris,
quóniam luce immortáli adulescéntem Domínicum decorásti:
tuo enim ductus Spíritu,
témpore in brevi itínera magna explévit,
ad simplicem ac tutam consequéndam sanctitátem,
læto corde in cotidiánis officiis fidéliter expléndis.

Et ídeo cum Angelis et Sanctis
glóriam tuam prædicámus
una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Io 6, 51

Ego sum panis vivus qui de cælo descéndi, dicit Dóminus.
 Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum;
 panis autem, quem ego dabo,
 caro mea est pro mundi vita.

POST COMMUNIONEM

Divína mensa refécti,
 tuam in nobis, quæsumus, Dómine, réfove grátiam,
 ut, beáti Domínici vestígia secúti,
 ad portum salútis fratres perdúcere valeámus.
 Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus Pater,
 super vos convocátos in festivitaté sancti Domínici,
 benedictiónis suæ grátiam et dilectionis divítias infúndat.

R. Amen.

Deus Fílius,
 vobis a peccáto per mortem ipsius liberátis,
 eius amicítiam semper quárere concédat,
 ómnibus diébus vitæ vestræ.

R. Amen.

Deus Spíritus Sanctus,
 qui apostólicæ vitæ exémplar in sancto Domínico effínxit,
 testificándæ fidei virtútem super vos infúndat.

R. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
 Pater, et Fílius, ✡ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Die 13 maii

**Sanctæ MARIÆ DOMINICÆ
MAZZARELLO virginis
Confundatricis
Instituti Filiarum Mariæ Auxiliaticis**

Festum; pro Instituto Filiarum Mariæ Auxiliaticis: sollemnitas.

Si sollemnitas occurrat diebus dominicis Paschæ, transfertur in sequenti proximo die libero. Ubi celebratur gradu sollemnitatis (quia Titularis ecclesiæ vel oratorii publici dedicatorum vel benedictorum) proclamantur tres lectiones et dicitur Credo; dummodo tamen non transferatur in diebus dominicis Temporis Paschalis.

ANT. AD INTROITUM

Ps 118 (117), 16.29

Déxtera Dómini exaltáta est;
déxtera Dómini fecit virtútem.
Confitémini Dómino quóniam bonus,
quóniam in sǽculum misericórdia eius (**T.P. Allelúia**).

Vel:

Sir 51, 18b.20

Quæsívi sapiéntiam in oratióne mea;
lætátum est cor meum in ea;
ambulávit pes meus iter rectum;
a iuventúte mea investigábam eam (**T.P. Allelúia**).

Dicitur Gloria in excelsis.

COLLECTA

Deus, qui beátam Maríam Domínicam vírginem,
humilitáte præcélSAM et caritáte flagrántem,
christiánæ professiónis et religiósæ conversatiónis spécimen fecísti,
fac nos veritátem tuam
et simplicitáte cordis quárere et opéribus iúgiter profitéri.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Vel, pro religiosis:

Deus, omnis bonitatis fons et largítor,
qui húmiles potíssimum díligis atque caritatis tuæ Spíritum
in corda simplícium et páuperum effúndis,
preces nostraras exáudi,
quas in festivitaté sanctæ Maríæ Domínicæ tibi extóllimus;
ut eiúsdem quæ, in hac religiósā instituénda família,
sanctum Ioánnem magístrum hábuit et patrem,
sédulo præcépta sequámur
et educatiónis munus amábili humanitaté imitémur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

LECTIO PRIMA

Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Corínthios

1, 26-31

Vidéte vocatióneM vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles; sed, quæ stulta sunt mundi, élégit Deus, ut confundat sapiéntes, et infírma mundi élégit Deus, ut confundat fórtia, et ignobília mundi et contemptibília élégit Deus, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei.

Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est sapiéntia nobis a Deo et iustitia et sanctificatio et redémptio, ut quemádmodum scriptum est: «Qui gloriátur, in Dómino gloriétur».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 52 (51), 10. 11

R. Spero in misericórdia tua, Dómine.

Ego sicut virens olíva in domo Dei.

Sperávi in misericórdia Dei
in ætérum et in sáculum sáculi. R.

Confitébor tibi in sáculum, quia fecísti;
et exspectábo nomen tuum,
quóniam bonum est, in conspéctu sanctórum tuorum. R.

ALLELUIA

Mt 11, 29

R. Allelúia, allelúia.

Díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, dicit Dóminus;
et inveniétis réquiem animábus vestris.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Confiteor tibi, Pater, quod revelasti ea parvulis.



Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

10, 21-28

In illa hora exsultávit Iesus Spíritu Sancto et dixit: «Confiteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus et revelásti ea párvulis; étiam, Pater, quia sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo; et nemo scit qui sit Fílius nisi Pater, et qui sit Pater nisi Fílius et cui volúerit Fílius reveláre».

Et convérsus ad discípulos seórsum dixit: «Beáti óculi, qui vident, quæ vidétis. Dico enim vobis: Multi prophétæ et reges voluérunt vidére, quæ vos vidétis, et non vidérunt, et audíre quæ audítis, et non audiérunt».

Et ecce quidam legis peritus surréxit tentans illum dicens: «Magíster, quid faciéndo vitam ætéram possidébo?». At ille dixit ad eum: «In Lege quid scriptum est? Quómodo legis?». Ille autem respóndens dixit: «Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota ánima tua et ex ómnibus víribus tuis et ex omni mente tua et próximum tuum sicut teípsum». Dixítque illi: «Recte respondísti; hoc fac et vives».

Verbum Dómini.

Ubi celebratur gradu sollemnitatis, additur prima lectio quæ sequitur, cum psalmo re-sponsorio:

LECTIO PRIMA

Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Ioánnis apóstoli

19, 1.5-9a

Ego Ioánnes audívi quasi vocem magnam turbæ multæ in cælo dicéntium:
«Allelúia! Salus et glória et virtus Deo nostro».

Et vox de throno exívit dicens:

«Laudem dícite Deo nostro, omnes servi eius
et qui timétis eum, pusilli et magni!».

**Et audívi quasi vocem turbæ magnæ et sicut vocem aquárum multárum
et sicut vocem tonítruum magnórum dicéntium:**

«Allelúia,
quóniam regnávit Dóminus, Deus noster omnípotens.
Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei,
quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se.

**Et datum est illi, ut coopériat se býssino splendénti mundo: býssinum enim
iustificatiónes sunt sanctórum».**

Et dicit mihi: «Scribe: Beáti, qui ad cenam nuptiarum Agni vocáti sunt!».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 148, 1-3. 11-14

R. Laudábo Dóminum in vita mea.

Laudáte Dóminum de cælis,
laudáte eum in excélsis.
Laudáte eum, omnes ángeli eius,
laudáte eum, omnes virtútes eius. **R.**

Laudáte eum, sol et luna,
laudáte eum, omnes stellæ lucéntes.
Reges terræ et omnes pòpuli,
príncipes et omnes iúdices terræ. **R.**

Iúvenes et vírgines,
senes cum iunióribus,
laudent nomen Dómini,
quia exaltátum est nomen eius solius. **R.**

Magnificéntia eius super cælum et terram,
et exaltávit cornu pòpuli sui.
Hymnus ómnibus sanctis eius,
filiis Israel, pòpulo, qui propínquus est ei. **R.**

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 138-139.

SUPER OBLATA

Súscipe, quæsumus, Dómine,
salutárem hóstiam, quam tibi
in beátæ Mariæ Domínicæ festivitáte (memória) offérimus,
et illo nos igne caritatis inflámma,
quo ipsa nobis exémplar præcéssit insígne.
Per Christum Dóminum nostrum.

Vel, pro religiosis:

Súscipe, quæsumus, Dómine, nostræ servitútis múnera,
quæ tibi sacránda detúlimus;
et, intercedénte beáta María Domínica,

quam religiosæ vitæ magistrum nobis dedisti,
concéde, ut, in cotidiánis officiis,
vocationem tuam lætantes vivamus.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*Virgo prudens et vigilans*»

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,
nos tibi semper et ubique grátias ágere,
Dómine, sancte Pater,
omnipotens æterne Deus.

Quia sanctam Maríam Domínicam vírginem excitásti,
prudéntia et vigilántia præcláram,
ut ómnibus exémplar exhiberétur
sollicitæ fidelitatis et patiéntis caritatis,
sincéræ humilitatis et operósæ paupertatis,
obediéntiæ lætæ et confidéntis resignatiónis.

Eamque per Spíritum tuum vocásti
ut una cum sancto Ioánne
nova prole Ecclésiam tuam locupletáres,
atque ínsimul inter adulescéntes
tamquam signum lucéret illius imménsæ caritatis,
quam in Christo Fílio tuo tradidísti.

Et ídeo cum Angelórum atque Sanctórum turba
hymnum laudis tibi cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedictus qui venit in nōmine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Lc 10,21

Confíteor tibi, Pater,
quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus
et revelásti ea párvulis;
étiam, Pater, quia sic plácuit ante te (**T.P.** Allelúia).

Vel:

Lc 10,27

Dicit Dóminus:
Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo
et ex tota ánima tua
et ex ómnibus víribus tuis
et ex omni mente tua
et próximum tuum sicut teípsum (**T.P.** Allelúia).

POST COMMUNIONEM

Dómine, Deus noster, huius participatio sacraménti,
[exémplo sanctæ Maríæ Domínicæ]
in nobis fóveat caritatis ardórem,
ut te unum et summum bonum quærámus,
fratres firmiter diligámus,
et ministérium nostrum in dies iucundius prosequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus, Pater omnípotens, qui vos hódie
ad festivitátem sanctæ Mariæ Domínicæ, vóluit adunáre,
ipse vos lætitia, humilitáte
et evangélica caritáte fáciat abundáre.

Ry. Amen.

Christus, qui resurrectiōnis suæ
partícipem sanctam Mariam Domínicam effécit,
vestram vitam suscípiat
ut gratam et fructuósam oblatiōnem.

Ry. Amen.

Spíritus Sanctus,
qui in sancta María Domínica pietatis et consílii dona effúdit,
vos reddat sollértes in Deo inquiréndo
ac in Ecclésiæ ministrándo.

Ry. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✕ et Spíritus Sanctus.

Ry. Amen.

Die 19 maii

Sancti LEONARDI MURIALDO presbyteri

ANT. AD INTROITUM

Mc 10, 14

Sínite párvulos venire ad me:
tálium est enim regnum Dei (T.P. Allelúia).

COLLECTA

Deus, bonórum fons ómnium, qui in sancto Leonárdo
órphanis patrem et téneris opíficibus ducem dedísti,
eius intercessióne, nobis concéde,
tuæ caritatis præcépta sectári
in frátribus nostris ministrándis.

Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Lectiones sumuntur ex Lectionario feriali; pro pastorali opportunitate autem etiam quæ
sequuntur ad libitum proclaimari possunt.

LECTIO PRIMA

Tamquam pater filios suos, deprecati sumus vos.

Léctio Epístulæ primæ beáti Pauli apóstoli ad Thessalonicénses 2, 2b-12

Fratres, fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortatio enim nostra non ex erróre neque ex immundítia neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis evangélium, ita lóquimur non quasi homínibus placéntes sed Deo, qui probat corda nostra.

Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis, neque sub prætéxtu avarítiae, Deus testis, nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis neque ab áliis, cum possímus óneri esse ut Christi apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat filios suos, ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

Mémores enim estis, fratres, labórem nostrum et fatigatióinem; nocte et die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis evangélium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte et iuste et sine queréla vobis, qui credídistis, fúimus, sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum, tamquam pater filios suos, deprecántes vos et consolántes testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocat vos in suum regnum et glóriam.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 34 (33), 2-3. 4-5. 6-7. 8-9. 10-11

R. Laudáte Dóminum mecum.

Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.

In Dómino gloriábitur áнима mea,
áudiant mansuéti et læténtrur. **R.**

Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
Exquisívi Dóminum, et exaudívít me
et ex ómnibus terróribus meis eríput me. **R.**

Respícite ad eum, et illuminámini
et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatióibus eius salvávit eum. **R.**

Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum
et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir, qui sperat in eo. **R.**

Timéte Dóminum, sancti eius,
quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono. **R.**

ALLELUIA

Mc 10, 15

R. Allelúa, allelúa.

Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus,
non intrábit in illud.

R. Allelúa.

EVANGELIUM

Vade, quæcumque habes vende et da pauperibus; deinde veni et sequere me.



Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

10, 13-21

In illo témpore, offerébant illi párvulos, ut tángeret illos; discípuli autem comminabántur eis. At videns Iesus, indígne tulit et ait illis: «Sínite párvulos venire ad me. Ne prohibuéritis eos; tálium est enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud». Et compléxans eos benedicébat impónens manus super illos.

Et cum egrederétur in viam, accúrrens quidam et, genu flexo ante eum, rogábat eum: «Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam?». Iesus autem dixit ei: «Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus. Præcépta nosti: ne occidas, ne adulteres, ne furéris, ne falsum testimónium díixeris, ne fráudem féceris, honóra patrem tuum et matrem».

Ille autem dixit ei: «Magíster, hæc ómnia conservávi a iuventúte mea». Iesus autem intúitus eum diléxit eum et dixit illi: «Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes, vende et da paupéribus et habébis thesáurum in cælo et veni, séquere me».

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf p. 140.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, oblationes,
quas tibi sacráandas detúlimus, in memória sancti Leonárdi:
ut, qui sacrificio intérsimus,
plenitúdinem tuæ miseratiónis consequámur.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

Extra Tempus paschale sumitur præfatio ac in memoria sancti Ioseph Cafasso (cf p. 68).

«*De restauratione universi per mysterium paschale*»

- V.** Dóminus vobíscum.
- R.** Et cum spíitu tuo.
- V.** Sursum corda.
- R.** Habémus ad Dóminum.
- V.** Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R.** Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre:
Te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hoc potíssimum gloriósius prædicáre,
cum Pascha nostrum immolátus est Christus.

Qui, oblatione córporis sui,
antiqua sacrificia in crucis veritaté perfécit,
et, seípsum tibi pro nostra salúte comméndans,
idem sacérdos, altáre et agnus exhibuit.

Quapropter, profusis paschilibus gaudiis,
totus in orbe terrarum mundus exsultat.
Sed et supernae virtutes atque angelicæ potestates
hymnum gloriæ tuæ concinunt,
sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf 1 Io 4, 21

Et hoc mandatum habemus a Domino,
ut qui diligat Deum,
diligat et fratrem suum (T.P. Alleluia).

POST COMMUNIONEM

Domine, Deus noster,
qui caelesti nos refecisti virtute,
praesta, quæsumus,
ut, exemplo sancti Leonardi,
caritatem erga humiliores et fidelitatem in veritate
ostendere valeamus.
Per Christum Dominum nostrum.

Die 24 maii

**BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,
titulo AUXILIUM CHRISTIANORUM
Patronæ principalis
Instituti Filiarum Mariæ Auxiliatricis
necnon universæ Familiæ Salesianæ**

Sollemnitas.

Si sollemnitas occurrat diebus dominicis Paschæ, transfertur in sequenti proximo die libero. Ubi ratio pastoralis id consultit, si sollemnitas occurrit in feriis, transferri potest in dominicis diebus Temporis per annum, adhibito formulario proprio in omnibus Missis cum populi concursu.

ANT. AD INTROITUM

Cf Idt 13, 18b.19

Benedícta tu es, Virgo María, a Deo excélsio
præ ómnibus muliéribus, quæ sunt super terram;
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum (**T.P. Allelúia**).

Dicitur Gloria in excelsis.

COLLECTA

Deus, qui beátam Vírginem Mariám
matrem et auxílium christianórum constituísti,
eiúsdem intercessióne Ecclésiam tuam confirma,
ut, quæ vel íntime premant vel úrgeant extérius,
tóleret patiéntia, vincat amóre,
ad loquéndum coram homínibus mystérium Christi.
Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Vel, pro religiosis:

Omnipotens et misericors Deus, qui mirabili providentia
Virginem Mariam matrem et Christianorum auxilium effecisti:
eius Ecclesiae tuae intercessione concede,
ut animo fidenti munus suum in mundo
ad regnum tuum dilatandum prosequatur.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

LECTIO PRIMA

Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole.

Lectio libri Apocalypsis beati Ioannis apostoli

12, 1.3a.7-12a.17

Signum magnum appáruit in caelo: múlier amícta sole, et luna sub pédiis eius, et super caput eius coróna stellárum duódecim. Et visum est áliud signum in caelo: et ecce draco rufus magnus, habens cápita septem et córnua decem.

Et factum est praelium in caelo, Míchael et ángeli eius, ut praeliaréntur cum dracóne. Et draco pugnávit et ángeli eius, et non váluit, neque locus in ventus est eórum amplius in caelo. Et proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocáitur Diábolus et Sátanas, qui sedúcit univérsum orbem; proiectus est in terram, et ángeli eius cum illo proiecti sunt. Et audívi vocem magnam in caelo dicéntem:

«Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri
et potéstas Christi eius,
quia proiectus est accusátor fratrū nostrorū,
qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die ac nocte.
Et ipsi vicérunt illum propter sanguinem Agni
et propter verbum testimónii sui;
et non dilexérunt animam suam usque ad mortem.
Propterea lætámini, cæli et qui habitatis in eis».

Et irátus est draco in muliérem et abiit facere praelium cum reliquis de sémine eius, qui custodiunt mandáta Dei et habent testimónium Iesu.

Verbum Domini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ap 15, 3b. 4a. 4b

R. In hymnis et cánticis laudémus Dóminum.

Magna et mirabília ópera tua,
Dómine Deus omnípotens;
iustæ et veræ viæ tuæ, Rex géntium! R.

Quis non timébit, Dómine,
et glorificábit nomen tuum?
Quia solus Sanctus. R.

Quóniam omnes gentes vénient
et adorábunt in conspéctu tuo,
quóniam iudícia tua manifestáta sunt. R.

LECTIO SECUNDA

Misit Deus Filium suum factum ex muliere, ut adoptionem filiorum recipieremus.

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Gálatas

4, 4-7

Fratres: Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiόnem filiόrum recipieremus.

Quóniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Fílli sui in corda nostra clamántem: «Abba, Pater!». Itaque iam non es servus sed fílius; quod si fílius, et heres per Deum.

Verbum Dómini.

ALLELUIA

R. Allelúia, allelúia.

Beáta Mater et Immaculáta Virgo María:
nunc et semper intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Quodcumque dixerit vobis, facite.



Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

2, 1-11

In illo témpore: núptiæ factæ sunt in Cana Galiláæ, et erat mater Iesu ibi; vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Iesu ad eum: «Vinum non habent». Et dicit ei Iesus: «Quid mihi et tibi, múlier? Nondum venit hora mea». Dicit mater eius minístris: «Quodcúmque díixerit vobis, fácite».

Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónen Iudæórum, capiéntes singulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Iesus:

«Impléte hýdrias aqua». Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis: «Hauríte nunc et ferte architriclínō». Illi autem tulérunt. Ut autem gu-stávit architriclínus aquam vinum factam et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui hauríerant aquam, vocat sponsum architriclínus et dicit ei: «Omnis homo primum bonum vinum ponit et, cum inebríati fúerint, id quod detérius est; tu servásti bonum vinum usque adhuc».

Hoc fecit inítium signórum Iesus in Cana Galiláæ et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli eius.

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 141-142.

SUPER OBLATA

Oblatiónes et preces súscipe, Pater,
quas tibi lætántes offérimus
in sollemnitáte beátæ Vírginis Mariæ Auxiliatrícis;
et præsta, eius intercessióne,
ut, procedéntes in fide, spe et caritáte,
confórmes efficiámur Dómino Iesu Christo,
qui suam pósuit ánimam pro mundi vita.
Qui vivit et regnat in sácula sáculórum.

PRÆFATIO

«Maria mater peregrinantis populi»

- V. Dóminus vobíscum.
 R. Et cum spírito tuo.
 V. Sursum corda.
 R. Habémus ad Dóminum.
 V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
 R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
 nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
 Dómine, sancte Pater,
 omnípotens ætére Deus;
 et te in sollemnitáte Beátæ Maríæ semper Vírginis,
 christianórum Auxiliatricis,
 collaudáre, benedícere et prædicáre.

Quóniam ancilla húmilis,
 ómnibus ornáta virtútibus,
 caritátis tuæ propósito ita adhæsit,
 ut Fílio tuo consociarétur in terris
 per obediéntiam fídei et ardórem caritatis,
 atque in cælis conglorificarétur
 ad matris munus in Ecclésia sédulo perficiéndum,
 filios in periculis versántes ádiuvans
 et in advérsis solácium præstans,
 cum peregrinántur cælestem versus Ierúsalem.

Et ídeo cælestia tibi atque terréstria
 cáanticum novum cóncinunt
 sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
 Pleni sunt cæli et terra glória tua.
 Hosánnā in excélsis.
 Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
 Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Lc 1, 48.38

Beátam me dícent omnes generátiones,
 quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.
 Ecce ancílla Dómini:
 fiat mihi secúndum verbum tuum (T.P. Allelúia).

POST COMMUNIONEM

Pater omnípotens,
 qui Dómini nostri Iesu Christi nos cælésti pane,
 quem Virgo génuit María, satiásti;
 præsta, quásumus,
 ut qui in eius resurrectióne
 primítias creatúræ novæ contemplámur,
 in novitáte vitæ ambulémus,
 adventúmque regni tui exspectémus.
 Per Christum Dóminum nostrum.

BENEDICTIO SOLLEMNIS

Deus Pater, qui Maríam Ecclésiæ Matrem
 et christianórum constitútuit Auxiliatrícem,
 amoris sui divítias super vos effúndat.

R. Amen.

Christus Iesus, qui de morte in cruce triúmphans,
 beátam Vírginem Matrem nobis relíquit,
 super vos vitæ suæ largitátem effúndat.

R. Amen.

Spíritus Sanctus, qui super discípulos,
 in cenáculo adunátos cum beáta Vírgine María, descéndit,
 testes vos fáciat eius resurrectiónis.

R. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
 Pater, et Fílius, ✡ et Spíritus Sanctus.

R. Amen.

Die 23 iunii

Sancti JOSEPH CAFASSO presbyteri

Memoria.

ANT. AD INTROITUM

Dan 12, 3

Qui docti fúerint,
fulgébunt quasi splendor firmaménti;
et qui ad iustítiam erúdiunt multos,
quasi stellæ in perpétuas æternitátes.

COLLECTA

Deus, qui sanctum Joseph, presbýterum,
caritátis et sapiéntiæ donis mirabiliter decorásti,
quibus tui verbi et amóris adminístros
iuxta evangélicam efformáret veritátem,
præsta quásumus ut nos quoque
tuæ pacis instruménta iúgiter exhibeámus.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

LECTIO PRIMA

In omnibus operibus tuis memorare novissima tua.

Léctio libri Sirácidæ

7, 31-40

In tota áнима tua time Dóminum
et sacerdótes illíus sanctífica.
In omni virtúte tua dílige eum, qui te fecit,
et minístros eius ne derelínquas.
Honóra Deum ex tota áнима tua
et honorífica sacerdótes.
Da illis partem, sicut mandátum est tibi,
primitiárum et purgatiónis et de neglegéntia,
et armum in oblatiónem
et sacrificiúm sanctificatiónis et primítias sanctórum.
Et páuperi pórrige manum tuam,
ut perficiátur propitiátio et benedíctio tua.
Grátia dati in conspéctu omnis vivéntis,
sed et mórtuo non prohíbeas gratiam.
Non desis plorántibus in consolatióne
et cum lugéntibus luge.
Non te pígeat visitáre infírmum,
ex his enim in dilectione firmáberis.
In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua
et in æténum non peccábis.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 112 (111), 1-2. 5-6a. 6b-8.9

R. Beátus vir qui timet Dóminum.

Beátus vir, qui timet Dóminum,
in mandátis eius cupit nimis.
Potens in terra erit semen eius,
generatio rectórum benedicétur. **R.**

Iucundus homo,
qui miseretur et cōmodat,
dispónet res suas in iudicio,
quia in æternum non commovébitur. **R.**

In memória æterna erit iustus,
ab auditioне mala non timébit.
Paratum cor eius, spérans in Dómino,
confirmátum est cor eius, non timébit,
donec despiciat inimicos suos. **R.**

Distríbuit, dedit paupéribus;
iustitia eius manet in sáculum sáculi,
cornu eius exaltábitur in glória. **R.**

ALLELUIA

Cf Mc 12, 30-31

R. Allelúia, allelúia.

Díliges Dóminum Deum tuum
ex toto corde tuo et ex tota áнима tua,
et próximum tuum tamquam teípsum.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Diligere Deum et proximum maius est omnibus sacrificiis.

 Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum 12, 28-34a

In illo témpore, accéssit ad Iesum unus de scribis, qui audíerat illos conquiréntes, videns quóniam bene illis respónderit, interrogávit eum: «Quod est primum ómnium mandátum?».

Iesus respóndit: «Primum est: «Audi, Israel: Dóminus Deus noster Dóminus unus est, et díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota áнима tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua». Secúndum est illud: «Díliges próximum tuum tamquam teípsum». Maius horum aliud mandá-
tum non est».

Et ait illi scriba: «Bene, Magíster, in veritáte dixísti: “Unus est, et non est alius præter eum; et dilígere eum ex toto corde et ex toto intelléctu et ex tota fortitúdine” et: “Dilígere próximum tamquam seípsum” maius est ómnibus holocaustomáribus et sacrificiis».

Et Iesus videns quod sapiénter respondísset, dixit illi: «Non es longe a regno Dei».

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf p. 143.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine,
preces et múnera pópuli tui, et præsta
ut qui Fílii tui imménsæ caritatis opus recólimus,
in tui et próximi dilectione,
sancti Ioseph exémplo, confirmémur.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*De præsentia sanctorum Pastorum in Ecclesia*»

- ¶. Dóminus vobíscum.
- R. Et cum spíritu tuo.
- ¶. Sursum corda.
- R. Habémus ad Dóminum.
- ¶. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,
nos tibi semper et ubique grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sic tr̄ibuis Eccl̄esiām tuam
 sancti Ioseph festivitāte gaudēre,
 ut eam exēmplo piæ conversatiōnis corrōbores,
 verbo pr̄ædicatiōnis erūdias,
 gratāque tibi supplicatiōne tueáris.

Et ídeo, cum Angelórum atque Sanctórum turba,
 hymnum laudis tibi cánimus,
 sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedictus qui venit in nōmine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Lc 6, 36-37a.c.38a

Dicit Dóminus: Estóte misericórdes,
 sicut et Pater vester miséricors est.
 Et nolíte iudicáre et non iudicabímini;
 dimíttite et dimittémini;
 date et dábitur vobis.

POST COMMUNIONEM

Pater sancte et misericordiárum Dómine,
 qui nos cōpore et ságuine Fílii tui satiásti,
 pr̄esta, quāsumus, sancti Ioseph exēmplo,
 ita nos toto corde tibi devovére,
 ut frátribus nostris, in dúbii et angóribus degéntibus,
 constánter consulámus.
 Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 octobris

Beati ALOISII GUANELLA presbyteri

ANT. AD INTROITUM

Cf Mt 25, 34.40

Veníte, benedícti Patris mei, dicit Dóminus.
Amen dico vobis: quándiu fecístis misericórdiam
uni de his frátribus meis mínimis,
mihi fecístis.

COLLECTA

Deus, bonitatis fons et prvidens Pater,
qui beatum Aloísum presbýterum
mira in páuperes et derelíctos dilectione decorásti;
præsta nobis, quæsumus,
ut tibi in caritaté iúgiter famulémur,
ómnibus diébus vitæ nostræ.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sáculórum.

Lectio nuncupatio ex Lectionario feriali.

ORATIO UNIVERSALIS: cf p. 144.

SUPER OBLATA

Réspice, Pater, dona, quæ super altare detulimus,
memoriam celebrantes beati Aloisii
et praesta, eius intercessione, devotam tibi gerere mentem,
et in fratrum servitio semper manere.
Per Christum Dominum nostrum.

PRÆFATIO

«*De actione Sanctorum*»

- ¶. Dominus vobiscum.
- ¶. Et cum spiritu tuo.
- ¶. Sursum corda.
- ¶. Habemus ad Dominum.
- ¶. Gratias agamus Domino Deo nostro.
- ¶. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere,
Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus:
per Christum Dominum nostrum.

Tu enim Sanctorum tuorum confessione mirabili
Ecclésiam tuam nova semper virtute fecundas,
nobisque certissima præbes tua dilectionis indicia.
Sed etiam, ad mystera salutis implenda,
et ipsorum insigni incitamus exemplo
et pia intercessione perpetuo commendamus.

Unde et nos, Domine, cum Angelis et Sanctis universis
tibi confitemur, in exultatione dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli et terra gloria tua.
Hosanna in excelsis.
Benedictus qui venit in nomine Domini.
Hosanna in excelsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Eph 5, 2

Ambulémus in dilectione,
sicut et Christus diléxit nos
et trádidit semetípsum pro nobis
oblatiónem et hóstiam Deo
in odórem suavitátis.

POST COMMUNIONEM

Pater, qui tuos nos esse voluísti commensáles,
concéde, quásumus, beáti Aloísii
apostólicam imitári multifórmem caritátem,
quam in advéntum Regni tui sédulo impéndit.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 25 octobris

In Anniversario Dedicationis ecclesiæ propriæ

Sollemnitas.

Anniversarium celebratur hac die in ecclesiis quarum dies Dedicationis non est nota. In ceteris ecclesiis celebratur die propria.

Semper adhibetur formularium de Commune Dedicationis ecclesiæ, iuxta Missale et Lectorium Romanum.

Die 29 octobris

Beati MICHAELIS RUA presbyteri

ANT. AD INTROITUM

Mal 2, 6a.c.

Lex veritatis fuit in ore eius,
in pace et in æquitate ambulavit mecum.

COLLECTA

Deus Pater omnípotens,
cuius imáginem beátus presbyter Míchael,
sancti Ioánnis spiritális heres,
in adulescéntibus dócuit excudendam,
fac nos quásimus tua claréscere sanctitaté,
ut qui ad iuventútem educándam vocámur,
formam Fílii tui exhibeámus ingénuam.
Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sǽcula sǽculórum.

Lectiones sumuntur ex Lectionario feriali; pro pastorali opportunitate autem etiam quæ sequuntur ad libitum proclamari possunt.

LECTIO PRIMA

Duæ partes spiritus tui fiant in me.

Léctio libri secúndi Regum

2, 1.6-15

Factum est, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cælum, ibant Elías et Eliséus de Gálgalis. Dixit autem ei Elías: «Sede hic, quia Dóminus misit me ad Iordánem». Qui ait: «Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, quia non derelínquam te». Iérunt ígitur ambo páriter, et quinquagínta viri de filiis prophetárum secúti sunt, qui et stetérunt e contra longe. Illi autem ambo stabant super Iordánem. Tulítque Elías pállium suum et invólvit illud et percússit aquas, quæ divísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ambo per siccum.

Cumque transíssent, Elías dixit ad Eliséum: «Póstula, quod vis, ut fáciam tibi, ántequam tollar a te». Dixítque Eliséus: «Obsecro, ut fiant duæ partes spíritus tui in me». Qui respóndit: «Rem diffícilem postulásti. Attamen si víderis me, quando tollor a te, erit tibi, quod petísti; si autem non víderis, non erit». Cumque pérgerent et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque; et ascéndit Elías per túrbinem in cælum.

Eliséus autem vidébat et clamábat: «Pater mi, pater mi, currus Israel et auríga eius!». Et non vidiit eum ámplius apprehendítque vestiménta sua et scidit illa in duas partes. Et levávit pállium Elíæ, quod cecíderat ei, reversúsque stetit super ripam Iordánis. Et pállio Elíæ, quod cecíderat ei, percússit aquas et dixit: «Ubi est Deus Elíæ étiam nunc?». Percussítque aquas, et divísæ sunt huc atque illuc, et transiit Eliséus.

Vidéntes autem filii prophetárum, qui erant in Iéricho de contra, dixérunt: «Requiévit spíritus Elíæ super Eliséum». Et veniéntes in occúrsum eius adoravérunt eum proni in terram.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 16 (15), 1-2. 7-8. 11

Ry. Dóminus pars hereditatis meæ.

Consérva me, Deus,
quóniam sperávi in te.

Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu,
bonum mihi non est sine te». Ry.

Benedícum Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum;
ínsuper et in nóctibus erudiérunt me renes mei.

Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor. Ry.

Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætitiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua
usque in finem. Ry.

ALLELUIA

Mt 6, 20a.21

Ry. Allelúia, allelúia.

Thesaurizáte vobis thesáuros in cælo:
ubi est thesáurus tuus, ibi erit et cor tuum.

Ry. Allelúia.

EVANGELIUM

Quærite regnum Dei et hæc omnia adicientur vobis.



Léctio sancti Evangélii secúndum Matthéum

6, 25-34

In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: «Ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque corpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca, et corpus quam vestiméntum? Respícite volatilia cæli, quóniam non serunt neque metunt neque cóngregant in hórrea, et Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem

vestrum cōgitans potest adicere ad ætātem suam cūbitum unum? Et de vestimēto quid sollīciti estis? Considerāte līlia agri quómodo crescunt: non labórant neque nent. Dico autem vobis quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri, quod hódie est et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, módicæ fidei?

Nolite ergo sollīciti esse dicéntes: "Quid manducábimus?", aut: "Quid bibémus?", aut: "Quo operiémur?". Hæc enim ómnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester cælestis quia his ómnibus indigétis. Quárite autem pri-mum regnum Dei et iustítiam eius, et hæc ómnia adiciéntur vobis. Nolite ergo esse sollīciti in crástinum; crástinus enim dies sollīcitus erit sibi ipse. Súfficit diéi malítia sua».

Verbum Dómini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf pp. 145-146.

SUPER OBLATA

Quæ tibi dona detúlimus, Dómine,
spiritálem nostri oblatiōnem signíficent,
ut quæ in corpus et ságuinem Christi Filii mutántur
nostram sanctificatiōnem operéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

PRÆFATIO

«*De signo vitæ Deo consecratæ»*

- V.** Dóminus vobíscum.
- R.** Et cum spíritu tuo.
- V.** Sursum corda.
- R.** Habémus ad Dóminum.
- V.** Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R.** Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratiias agere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens æterne Deus.

In Sanctis enim, qui Christo se dedicaverunt
propter regnum cælorum,
tuam decet providentiam celebrare mirabilem,
qua humánam substántiam
et ad primæ originis révocas sanctitatem,
et ad experiénda dona,
quæ in novo sáculo sunt habénda, perdúcis.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedictus qui venit in nōmine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Io 15, 10

Dicit Dóminus: Si præcépta mea servavéritis,
manébitis in dilectione mea,
sicut ego Patris mei præcépta servávi
et máneo in eius dilectione.

POST COMMUNIONEM

Quos tua mensa Dómine, satiásti,
redde prudéntia vígiles et caritaté sollértes,
ut in párvulis ac paupéribus ministrándis
ineffábile largítatís tuæ prómtere sacraméntum valeámus.
Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 novembris

Beatorum ALOISII VERSIGLIA episcopi et CALLISTI CARAVARIO presbyteri Protomartyrum Salesianorum

ANT. AD INTROITUM

Gaudeámus omnes in Dómino,
diem festum celebráentes beatórum Aloísii et Callísti mártirum,
qui bonam confessiónem conféssi sunt coram multis téstibus,
propter Christum,
qui hodie in cælis corónat eos coróna gloriæ.

COLLECTA

Omnípotens et miséricors Deus,
qui béatos mártires Aloísium epíscopum et Callístum presbýterum
invíctos Evangélii tui núntios
ac dignitátis humánæ strénuos defensóres constituísti,
concéde nobis, fidélibus tuis,
et eórum sectári virtútem et exémpla imitári,
ut testes fídei atque operósæ caritátis éffici mereámur.
Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus,
per ómnia sácula sæculórum.

Lectiones sumuntur ex Lectionario feriali; pro pastorali opportunitate autem etiam quæ sequuntur ad libitum proclamari possunt.

LECTIO PRIMA

Quasi holocausti hostiam Deus accepit illos.

Léctio libri Sapiéntiæ

3, 1-7a.8b-9

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt,
et non tanget illos torméntum mortis.
Visi sunt óculis insipiéntium mori,
et æstimáta est afflíctio éxitus illórum
et, quod a nobis est iter, extermínium;
illi autem sunt in pace.
Etenim, si coram homínibus torménta passi sunt,
spes illórum immortalité plena est;
et in paucis corrépti, in multis bene disponéntur,
quóniam Deus tentávit eos
et invénit illos dignos se.
Tamquam aurum in fornáce probávit illos
et quasi holocáusti hóstiam accépit illos,
et in témpore visitatiónis illórum fulgébunt
et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.
Qui confídunt in illo, intéllegent veritátem,
et fidéles in dilectione acquiéscēt illi,
quóniam grátia et misericórdia est sanctis eius
et visitatióne eléctis eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 16 (15), 1-2. 5.7a. 8-9a. 11

R. In te, Dómine, sperávi.

Consérva me, Deus, quóniam sperávi in te.
Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu,
bonum mihi non est sine te». **R.**

Dóminus pars hereditatis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam.
Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum. **R.**

Proponébam Dóminum in conspéctu meo semper;
quóniam a dextris est mihi, non commovébor.
Propter hoc lætátum est cor meum. **R.**

Notas mihi fácies vias vitæ,
plenitúdinem lætítiæ cum vultu tuo,
delectatiónes in déxtera tua usque in finem. **R.**

ALLELUIA

Io 12, 24

R. Allelúia, allelúia.

Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit,
ipsum solum manet;
si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Si granum frumenti mortuum fuerit, multum fructum affert.

 Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

12, 24-26

In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: «Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert.

Qui amat ánimam suam, perdit eam, et qui odit ánimam suam in hoc mun-
do, in vitam ætérnam custódierit eam.

Si quis mihi minístrat, me sequátur, et ubi sum ego, illic et miníster meus
erit; si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater».

Verbum Dómini.

SUPER OBLATA

Sacrificium láudis tibi Dómine offérimus,
 beatórum mártirum Aloísii et Callísti corónam recoléntes,
 ut idem nos beátæ Fílii tui passiónis testes effíciat,
 qui beátos mártires verbo dócuit et exémplo,
 Christus Dóminus noster.
Qui tecum vivit et regnat in sácula sæculórum.

PRÆFATIO

«*De signo et exemplo martyrii»*

- V.** Dóminus vobíscum.
- R.** Et cum spíritu tuo.
- V.** Sursum corda.
- R.** Habémus ad Dóminum.
- V.** Grátias agámus Dómino Deo nostro.
- R.** Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
 nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætére Deus.

Quóniam beatórum mártirum Aloísii et Callísti
 pro confessióne nóminis tui,
 ad imitatiómem Christi,
 sanguis effúsus tua mirabília maniféstat,
 quibus pérficiis in fragilitáte virtútem,
 et vires infírmas ad testimónium róboras,
 per Christum Dóminum nostrum.

Et ídeo, cum cælórum Virtútibus,
 in terris te iúgiter celebrámus,
 maiestáti tuæ sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
 Pleni sunt cæli et terra glória tua.
 Hosánnia in excélsis.
 Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
 Hosánnia in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM

Cf Lc 22, 28-30

Vos estis
qui permansistis mecum in tentatióibus meis,
et ego dispóno vobis ut edátis et bibátis
super mensam meam in regno meo.

POST COMMUNIONEM

Præsta, quásumus, Dómine Deus noster,
ut qui pane cælesti refécti sumus,
sanctórum mártirum Aloísi et Callísti exémplo,
qui sanguinem suum fudérunt pro frátribus,
Christi passióni sociémur.
Qui vivit et regnat in sǽcula sǽculórum.

Die 5 decembris

**Beati PHILIPPI RINALDI presbyteri
Fundatoris Instituti sacerularis
«Volontarie di Don Bosco»**

ANT. AD INTROITUM

Ier 3, 15

Dabo vobis pastores iuxta cor meum,
et pascent vos scientia et doctrina.

Vel:

Ps 34 (33), 12.6a

Venite, filii, audite me:
timorem Domini docabo vos.
Respicite ad eum, et illuminamini.

COLLECTA

Deus bonorum fons omnium,
qui in beato Philippo presbtero
evangelicam vivendi formam
laetanter pro fratribus impensam
mirabiliter decorasti, praesta, quasumus,
ut prudentem eius apostolicam imitantes navitatem
cotidie laborem nostrum fideleriter exsequamur
et amoris tui propositum vita nostra perficiamus.
Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum,
qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus,
per omnia saecula saeculorum.

Lectiones sumuntur ex Lectionario feriali; pro pastorali opportunitate autem etiam quæ sequuntur ad libitum proclaimari possunt.

LECTIO PRIMA

Caritas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu; in diem Christi.

Léctio Epístulæ beáti Pauli apóstoli ad Philippenses

1, 3-11

Fratres, grátias ago Deo meo in omni memória vestri semper in omni oratione mea pro ómnibus vobis cum gáudio deprecationem fáciens super communione vestra in evangélio a prima die usque nunc, confídens hoc ipsum, quia, qui coepit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Iesu; sicut est mihi iustum hoc sentíre pro ómnibus vobis, eo quod hábeam in corde vos et in vínculis meis et in defensióne et confirmatióne evangélii sócios grátiæ meæ omnes vos esse.

Testis enim mihi Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Christi Iesu. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia et omni sensu, ut probétis potiéra, ut sitis sincéri et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu iustítiae, qui est per Iesum Christum, in glóriam et laudem Dei.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS Ps 103 (102), 1-2. 3-4a.5a. 6-7. 8-9. 11-12. 13-14

R. Bénedic, ánima mea, Dómino.

Bénedic, ánima mea, Dómino,
et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius.
Bénedic, ánima mea, Dómino,
et noli oblivisci omnes retributiónes eius. R.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis,
qui sanat omnes infirmitátes tuas;
qui rédimit de intéritu vitam tuam,
qui replet in bonis ætátem tuam. R.

Fáciens iustítias Dóminus
et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.
Notas fecit vias suas Móysi,
filiis Israel adinventiōnes suas. R.

Miserátor et miséricors Dóminus,
longánimis et multæ misericórdiæ.
Non in perpétuum conténdet,
neque in æténum irascétur. **R.**

Quóniam, quantum exaltátur cælum a terra,
præváluit misericórdia eius super timéntes eum;
quantum distat ortus ab occidente,
longe fecit a nobis iniquitátes nostras. **R.**

Quómodo miserétur pater filiòrum,
miséritus est Dóminus timéntibus se.

Quóniam ipse cognóvit figmémentum nostrum,
recordátus est quóniam pulvis sumus. **R.**

ALLELUIA

Cf Io 15, 5

R. Allelúia, allelúia.

Ego sum vitis, vos pálmites, dicit Dóminus;
qui manet in me, hic fert fructum multum.

R. Allelúia.

EVANGELIUM

Manete in me et ego in vobis.



Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

15, 1-8

In illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: «Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem, in me non feréntem fructum, tollit eum, et omnem, qui fert fructum, purgat eum, ut fructum plus áfferat. Iam vos mundi estis propter sermóñem, quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.

Ego sum vitis, vos pálmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potéstis fáceré. Si quis in me non mánserit, missus est foras sicut palmes et áruit, et colligunt eos et in ignem mittunt, et ardent.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petite, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum multum afferatis et efficiamini mei discipuli».

Verbum Domini.

ORATIO UNIVERSALIS: cf p. 149.

SUPER OBLATA

Clementissime Deus, qui, vetere homine consumpto,
novum secundum te in beato Philippo creare dignatus es,
concde propitiis, ut nos pariter renovati
hanc placationis hostiam tibi acceptabilem offeramus.
Per Christum Dominum nostrum.

PRÆFATIO

Extra Tempus Adventus, sumitur præfatio ac in memoria beati Michaelis Rua (cf p. 77).

«*De duobus adventibus Christi*»

- V.** Dominus vobiscum.
- R.** Et cum spiritu tuo.
- V.** Sursum corda.
- R.** Habemus ad Dominum.
- V.** Gratias agamus Domino Deo nostro.
- R.** Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere,
Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus:
per Christum Dominum nostrum.

Qui, primo advéntu in humilitáte carnis assúmptæ,
dispositiónis antiquæ munus implévit,
nobisque salútis perpétuæ trámitem reserávit:
ut, cum secúndo vénerit in suæ glória maiestátis,
manifésto demum múnere capiámus,
quod vigilantes nunc audémus exspectáre promíssum.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatióibus,
cumque omni milítia cælestis exércitus,
hymnum gloriæ tuæ cánimus,
sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánnā in excélsis.
Benedictus qui venit in nómine Dómini.
Hosánnā in excélsis.

ANT. AD COMMUNIONEM


Io 15, 9. 11

Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectione mea,
ut gáudium vestrum impleátur — dicit Dóminus —.

POST COMMUNIONEM

Quásumus, omnípotens Deus,
ut, qui huius sacraménti munímur virtúte,
exémplo beáti Philíppi
discámus te super ómnia semper inquirere,
et novi hóminis formam in hoc sáculo portáre.
Per Christum Dóminum nostrum.

ORDO MISSÆ



RITUS INITIALES

Populo congregato, sacerdos cum ministris ad altare accedit, dum cantus ad introitum peragitur. Cum ad altare pervenerit, facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur et, pro opportunitate, illud incensat. Postea cum ministris sedem petit.

Cantu ad introitum absoluto, sacerdos et fideles, stantes, signant se, dum sacerdos, ad populum conversus, dicit:

In nōmine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Populus respondet:

Amen.

Deinde sacerdos, manus extendens, populum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi, et cáritas Dei,
et communicátió Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis.

Vel:

Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

Vel:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Episcopus, loco **Dóminus vobíscum**, in hac prima salutatione dicit: **Pax vobis.**

Sacerdos, vel diaconus vel aliis minister idoneus, potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei. Deinde sequitur actus pænitentialis. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránta.

Fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissione:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

Aliæ formulæ actus pænitentialis:

A

Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii. Postea sacerdos dicit:

Miserére nostri, Dómine.

Populus respondet:

Quia peccávimus tibi.

Sacerdos:

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Populus:

Et salutare tuum da nobis.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

B

Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránta.

Fit brevis pausa silentii. Deinde sacerdos, vel aliis minister idoneus, sequentes, vel alias, invocationes **cum Kýrie, éléison profert:**

Qui missus es sanáre contrítos corde: **Kýrie, éléison.**

Populus respondet:

Kýrie, éléison.

Sacerdos:

Qui peccatóres vocáre venísti: **Christe, éléison.**

Populus:

Christe, éléison.

Sacerdos:

Qui ad déxteram Patris sedes,
ad interpellándum pro nobis: **Kýrie, éléison.**

Populus:

Kýrie, éléison.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam æternam.

Populus respondet:

Amen.

Sequuntur invocationes Kýrie, éléison, nisi iam præcesserint in aliqua formula actus pænitentialis.

V. Kýrie, éléison.
V. Christe, éléison.
V. Kýrie, éléison.

R. Kýrie, éléison.
R. Christe, éléison.
R. Kýrie, éléison.

Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus:

Glória in excélsis Deo
et in terra pax homínibus bonæ voluntatis.
Laudámus te, benedícimus te,
adorámus te, glorificámus te,
grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam,
Dómine Deus, Rex cælestis,
Deus Pater omnípotens.
Dómine Fili unigénite, Iesu Christe,
Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris,
qui tollis peccáta mundi, miserére nobis;
qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis.
Quóniam tu solus Sanctus, tu solus Dóminus, tu solus Altíssimus,
Iesu Christe, cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris.
Amen.

Quo hymno finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatiū in silentio orant. Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit orationem; qua finita, populus acclamat:

Amen.

LITURGIA VERBI

Deinde lector ad ambonem pergit, et legit primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant. Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamat:

Deo grátias.

Psalmista, seu cantor, psalmum dicit, populo responsum proferente.

Postea, si habenda sit secunda lectio, lector eam in ambone legit, ut supra. Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamat:

Deo grátias.

Sequitur **Allelúia**, vel alter cantus. Interim sacerdos incensum, si adhibetur, imponit. Postea diaconus, Evangelium prolatus, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens:

Iube, domne, benedícere.

Sacerdos submissa voce dicit:

**Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis:
ut digne et compétenter annúnties Evangélium suum:
in nómine Patris, et Fílli, ✕ et Spíritus Sancti.**

Diaconus respondet:

Amen.

Si vero non adest diaconus, sacerdos ante altare inclinatus secreto dicit:

**Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre.**

Postea diaconus, vel sacerdos, ad ambonem pergit, ministris pro opportunitate cum incenso et cereis eum comitantibus, et dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíitu tuo.

Diaconus, vel sacerdos:

Léctio sancti Evangélii secúndum N.

Et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore. Populus acclamat:

Glória tibi, Dómine.

Deinde diaconus, vel sacerdos, librum, si incensum adhibetur, thurificat, et Evangelium proclamat. Finito Evangelio, diaconus, vel sacerdos dicit:

Verbum Dómini.

Omnibus acclamantibus:

Laus tibi, Christe.

Deinde librum osculatur dicens secreto:

Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

Deinde fit homilia, quæ habenda est omnibus diebus dominicis et festis de præcepto; aliis diebus commendatur. Homilia expleta, fit, quando præscribitur, professio fidei:

Credo in unum Deum,

Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,
visibílum ómnium et invisibílum.

Et in unum Dóminum Iesum Christum,

Fílium Dei unigénitum,

et ex Patre natum ante ómnia sácula.

Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero,
génitum, non factum, consubstantiálem Patri:
per quem ómnia facta sunt.

Qui propter nos hómines et propter nostram salútem
descéndit de cælis.

Ad verba quæ sequuntur, usque ad **factus est**, omnes se inclinant.

Et incarnátus est de Spíitu Sancto
ex María Vírgine, et homo factus est.
Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,
et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris.
Et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.
Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem:
qui ex Patre Filióque procédit.
Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur:
qui locútus est per prophétas.
Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.
Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.
Et exspécto resurrectióne mortuórum,
et vitam ventúri sáculi. Amen.

Deinde fit oratio universalis, seu oratio fidelium.

LITURGIA EUCHARISTICA

His absolutis, incipit cantus ad offertorium. Interim ministri corporale, purificatorium, calicem et missale in altari collocant.

Expedit ut fideles participationem suam oblatione manifestent, afferendo sive panem et vinum ad Eucharistiae celebrationem, sive alia dona, quibus necessitatibus Ecclesiæ et pauperum subveniatur.

Sacerdos, stans ad altare, accipit patenam cum pane, eamque aliquantulum elevatam super altare tenet, secreto dicens:

Benedictus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largítate accépimus panem,
quem tibi offérimus,
fructum terræ et óperis mánuum hóminum:
ex quo nobis fiet panis vitæ.

Deinde deponit patenam cum pane super corporale. Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

Benedictus Deus in sǽcula.

Diaconus, vel sacerdos, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto:

Per huius aquæ et vini mystérium
eius efficiámur divinitátis consórtes,
qui humanitatis nostræ fieri dignátus est párticeps.

Postea sacerdos accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, secreto dicens:

Benedictus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largítate accépimus vinum,
quod tibi offérimus,
fructum vitis et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet potus spiritális.

Deinde calicem super corporale deponit. Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

• **Benedictus Deus in sǽcula.**

Postea sacerdos, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitatis et in ánimo contrítō
suscipiámur a te, Dómine;
et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Et, pro opportunitate, incensat oblata et altare. Postea vero diaconus vel minister incensat sacerdotem et populum. Deinde sacerdos, stans ad latus altaris, lavat manus, dicens secreto:

Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me.

Stans postea in medio altaris, versus ad populum, extendens et iungens manus, dicit:

Oráte, fratres:
ut meum ac vestrum sacrificium
acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Populus respondeat:

Suscípiat Dóminus sacrificium de mánibus tuis
ad laudem et glóriam nóminis sui,
ad utilitátem quoque nostram
totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit orationem super oblata; qua finita, populus acclamat:

Amen.

Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam. Manus extendens, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos, manus elevans, prosequitur:

Sursum corda.

Populus:

Habémus ad Dóminum.

Sacerdos, manibus extensis, subdit:

Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Populus:

Dignum et iustum est.

Sacerdos prosequitur præfationem manibus extensis. In fine autem præfationis iungit manus et, una cum populo, ipsam præfationem concludit, cantans vel clara voce dicens:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua.

Hosánnā in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánnā in excélsis.

In omnibus Missis licet sacerdoti celebranti illas partes Precis eucharisticæ cantare, quæ in Missis concelebratis cantari possunt.

In Prece eucharistica prima, seu Canone Romano, ea quæ inter parentheses includuntur omitti possunt.

PREX EUCHARISTICA I

SEU CANON ROMANUS

Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Te igitur, clementissime Pater,
per Iesum Christum, Filiū tuum, Dóminum nostrum,
súpplices rogámus ac pétimus,

iungit manus et dicit:

ut accépta hábeas

signat semel super panem et calicem simul, dicens:

**et benedícas ✠ hæc dona, hæc múnera,
hæc sancta sacrificia illibáta,**

extensis manibus prosequitur:

**in primis, quæ tibi offérimus
pro Ecclésia tua sancta cathólica:
quam pacificáre, custodíre, adunáre
et régere dignérис toto orbe terrárum:
una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Antístite nostro N.
et ómnibus orthodóxis atque cathólicæ
et apostólicæ fidei cultóribus.**

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum N. et N.

Iungit manus et orat aliquantulum pro quibus orare intendit. Deinde, manibus extensis, prosequitur:

**et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est et nota devótio,
pro quibus tibi offérimus:
vel qui tibi ófferunt hoc sacrificium laudis,
pro se suísque ómnibus:
pro redemptióne animárum suárum,
pro spe salútis et incolumitátis suæ:
tibique reddunt vota sua æterno Deo, vivo et vero.**

Communicantes,
 et memóriam venerantes,
 in primis gloriósae semper Vírginis Maríæ,
 Genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi:
 sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis Sponsi,
 et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum,
 Petri et Pauli, Andréæ,
 [Iacóbi, Ioánnis,
 Thomæ, Iacóbi, Philíppi,
 Bartholomáei, Matthæi,
 Simónis et Thaddæi:
 Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti,
 Cornélii, Cypriáni,
 Lauréntii, Chrysogoni,
 Ioánnis et Pauli,
 Cosmæ et Damiáni]
 et ómnium Sanctórum tuórum;
 quorum méritis precibúsque concédas,
 ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio.

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
 sed et cunctæ familiæ tuæ,
 quæsumus, Dómine, ut placátus accípias:
 diésque nostros in tua pace dispónas,
 atque ab ætérrna damnatione nos éripi
 et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus,
 benedictam, adscriptam, ratam,
 rationabilem, acceptabilémque fácere dignérис:
 ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílli tui,
 Dómini nostri Iesu Christi.

Jungit manus.

In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prout natura eorundem verborum requirit.

Qui, prídie quam paterétur,

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas,

elevat oculos:

et elevátis óculis in cælum

ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,

tibi grátias agens benedíxit,

fregit, deditque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et manducáte ex hoc omnes:

hoc est enim Corpus meum,

quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens et hunc præclárum cálicem

in sanctas ac venerábiles manus suas,

item tibi grátias agens benedíxit,

deditque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et bíbete ex eo omnes:

hic est enim calix Sanguinis mei

novi et ætérsni testaménti,

qui pro vobis et pro multis effundétur

in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratióne.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectióne confitémur, donec vénias.

Vel:

Quitescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectióne tuam liberásti nos.

Postea, extensis manibus, sacerdos dicit:

Unde et mémores, Dómine,
nos servi tui,
sed et plebs tua sancta,
eiúsdem Christi, Fílii tui, Dómini nostri,
tam beátæ passiónis,
necnon et ab íferis resurrectiónis,
sed et in cælos gloriósæ ascensiónis:
offérimus præcláræ maiestáti tuæ
de tuis donis ac datis
hóstiam puram, hóstiam sanctam, hóstiam immaculátam,
Panem sanctum vitæ ætérnæ
et Cálicem salútis perpétuæ.

Supra quæ propítio ac seréno vultu
respícere dignérис:
et accépta habére,
sicuti accépta habére dignátus es
múnera púeri tui iusti Abel,
et sacrificium Patriárchæ nostri Abrahæ,
et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchísedech,
sanctum sacrificium, immaculátam hóstiam.

Inclinatus, iunctis manibus, prosequitur:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus:
iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui

in sublīme altāre tuum,
 in conspéctu divinæ maiestatis tuæ;
 ut, quotquot ex hac altaris participatiōne
 sacrosánctum Fílii tui Corpus et Ságuinem sumpsérimus,
 erigit se atque seipsum signat, dicens:
omni benedictiōne cælesti et grátia repleámur.

Manibus extensis, dicit:

Meménto étiam, Dómine,
 famulórum famularúmque tuárum **N.** et **N.**,
 qui nos præcessérunt cum signo fidei,
 et dórmiant in somno pacis.

Iungit manus et orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit. Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus,
 locum refrigérii, lucis et pacis,
 ut indúlgeas, deprecámur.

Iungit manus. Manu dextera percutit sibi pectus, dicens:

Nobis quoque peccatóribus fámulis tuis,
 et extensis manibus prosequitur:

de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus,
 partem áliquam et societátem donáre dignéris
 cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus:
 cum Ioánnē, Stéphano, Matthía, Bárnaba,
 [Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro,
 Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia,
 Agnéte, Cæcília, Anastásia]
 et ómnibus Sanctis tuis:
 intra quorum nos consórtium,
 non æstimátor mériti, sed véniae,
 quæsumus, largítor admítte.

Iungit manus.

Per Christum Dóminum nostrum.

Et prosequitur:

Per quem hæc ómnia, Dómine,
semper bona creas, sanctífcas, vivíficas, benedícis,
et præstas nobis.

Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sæcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

PREX EUCHARISTICA II

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
per Fílium dilectionis tuæ Iesum Christum,
Verbum tuum per quod cuncta fecísti:
quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem,
incarnátum de Spíitu Sancto et ex Vírgine natum.
Qui voluntátem tuam adímplens
et pópulum tibi sanctum acquírens
exténdit manus cum paterétur,
ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret.
Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis
glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua.

Hosánnā in excélsis.

Benedictus qui venit in nómine Dómini.

Hosánnā in excélsis.

Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Vere Sanctus es, Dómine,
fons omnis sanctitátis.

Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Hæc ergo dona, quæsumus,
Spíritus tui rore sanctifica,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

**ut nobis Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi.**

Iungit manus.

In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui cum Passióni voluntárie traderétur,

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem et grátias agens fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim Corpus meum,
quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.
Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens et cálicem,
íterum grátias agens dedit discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et bíbite ex eo omnes:
hic est enim calix Sánguinis mei
novi et ætérsni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratióñem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur mortis et resurrectiónis eius,
tibi, Dómine, panem vitæ
et cálicem salútis offérimus,
grátias agéntes quia nos dignos habuísti
astáre coram te et tibi ministráre.

Et súpplices deprecámur
ut Córporis et Sánguinis Christi partícipes
a Spíritu Sancto congregémur in unum.

Recordáre, Dómine,
Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfíctias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.
et univérso clero.

Meménto étiam fratrum nostrórum,
qui in spe resurrectiónis dormiérunt,
omniúmque in tua miseratióne defunctórum,
et eos in lumen vultus tui admítte.

Omnium nostrum, quāsumus, miserére,
ut cum beáta Dei Genetríce Vírgine María,
beatis Apóstolis et ómnibus Sanctis,
qui tibi a sǽculo placuérunt,
ætérnæ vitæ mereámur esse consórtes,
et te laudémus et glorificémus

iungit manus:

per Fílium tuum Iesum Christum.

Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sácula sǽculórum.

Populus acclamat:

Amen.

PREX EUCHARISTICA III

Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Vere Sanctus es, Dómine,
et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra,
quia per Fílium tuum,
Dóminum nostrum Iesum Christum,
Spíritus Sancti operánte virtúte,
vivíficas et sanctíficas univérsa,
et pópulum tibi congregáre non désinis,
ut a solis ortu usque ad occásum
oblátio munda offerátur nómini tuo.

Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Súpplices ergo te, Dómine, deprecámur,
ut hæc múnera, quæ tibi sacránda detúlimus,
eódem Spíritu sanctificáre dignéris,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut Corpus et **☒** Sanguis fiant
Fílli tui Dómini nostri Iesu Christi,

iungit manus:

cuius mandáto hæc mystéria celebrámus.

In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim in qua nocte tradebátur

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem

et tibi grátiás agens benedíxit,

fregit, dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim Corpus meum,
quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens cálicem,

et tibi grátiás agens benedíxit,

deditque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat:

Accípite et bíbite ex eo omnes:
hic est enim calix Sánguinis mei
novi et ætérsni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratióñem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde dicit:

Mystérium fidei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectióñem confitémur, donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiōnem tuam liberásti nos.

Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur, Dómine,
eiúsdem Filii tui salutíferæ passiónis
necnon mirabilis resurrectiōnis
et ascensiōnis in cælum,
sed et præstolántes álerum eius advéntum,
offérimus tibi, grátias referéntes,
hoc sacrificiū vivum et sanctum.

Réspice, quás̄sumus,
in oblatiōnem Ecclésiæ tuæ
et, agnoscens Hóstiam,
cuius voluísti immolatiōne placári,
concéde, ut qui Córpare et Sánguine Filii tui refícimur,
Spíritu eius Sancto repléti,
unum corpus et unus spíritus inveniámur in Christo.

Ipse nos tibi perficiat munus ætérum,
ut cum eléctis tuis hereditátem cósequi valeámus,
in primis cum beatíssima Vírgine, Dei Genetríce, María,
cum beátis Apóstolis tuis et gloriósis Martýribus
[cum Sancto N.: Sancto diei vel patrono]
et ómnibus Sanctis,
quorum intercessiōne
perpétuo apud te confidimus adiuvári.

Hæc Hóstia nostræ reconciliatiōnis proficiat,
quás̄sumus, Dómine,
ad totius mundi pacem atque salútem.

Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
 in fide et caritáte firmáre dignéris
 cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N.,
 cum episcopáli ordine et univérso clero
 et omni pópulo acquisitiónis tuæ.

Votis huius familiæ, quam tibi astáre voluísti,
 adésto propítius.

Omnes filios tuos ubíque dispérsos
 tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

Fratres nostros defúnctos
 et omnes qui, tibi placéntes, ex hoc sáculo transiérunt,
 in regnum tuum benígnus admítte,
 ubi fore sperámus,
 ut simul glória tua perénniter satiémur,

iungit manus:

per Christum Dóminum nostrum,
 per quem mundo bona cuncta largíris.

Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
 est tibi Deo Patri omnipoténti,
 in unitáte Spíritus Sancti,
 omnis honor et glória
 per ómnia sácula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

PREX EUCHARISTICA IV

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíitu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
quia unus es Deus vivus et verus,
qui es ante sácula et pérmiges in ætérum,
inaccessibilem lucem inhábitans;
sed et qui unus bonus atque fons vitæ cuncta fecísti,
ut creatúras tuas benedictiónibus adimpléres
multásque lætificáres tui lúminis claritáte.

Et ídeo coram te innúmeræ astant turbæ angelórum,
qui die ac nocte sérviant tibi
et, vultus tui glóriam contemplántes,
te incessánter glorificant.

Cum quibus et nos et, per nostram vocem,
omnis quæ sub cælo est creatúra
nomen tuum in exsultatióne confitémur, canéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua.

Hosánnā in excélsis.

Benedictus qui venit in nómine Dómini.

Hosánnā in excélsis.

Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Confítémur tibi, Pater sancte,
quia magnus es et ómnia ópera tua
in sapiéntia et caritáte fecísti.

Hóminem ad tuam imáginem condidísti,
eíque commisísti mundi curam univérsi,
ut, tibi soli Creatóri sérviens,
creatúris ómnibus imperáret.

Et cum amicítiam tuam, non obédiens, amisísset,
non eum dereliquísti in mortis império.

Omnibus enim misericórditer subvenísti,
ut te quæréntes invenírent.

Sed et fóedera plúries homínibus obtulísti
eósque per prophétas erudísti in exspectatióne salútis.

Et sic, Pater sancte, mundum dilexísti,
ut, compléta plenitúdine téporum,
Unigénitum tuum nobis mítteres Salvatórem.

Qui, incarnátus de Spíritu Sancto
et natus ex María Vírgine,
in nostra condiciónis forma est conversátus
per ómnia absque peccáto;
salútem evangelizávit paupéribus,
redemptiónem captívis,
mæstis corde lætitiam.

Ut tuam vero dispensatióne impléret,
in mortem trádidit semetípsum
ac, resúrgens a mórtuis,
mortem destrúxit vitámque renovávit.

Et, ut non ámplius nobismetípsis viverémus,
sed sibi qui pro nobis mórtuus est atque surréxit,
a te, Pater, misit Spíritum Sanctum
primítias credéntibus,
qui, opus suum in mundo perficiens,
omnem sanctificatióne compléret.

Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Quásumus ígitur, Dómine,
ut idem Spíritus Sanctus
hæc múnera sanctificáre dignétur,

iungit manus et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

**ut Corpus et ✕ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi**

iungit manus

**ad hoc magnum mystérium celebrándum,
quod ipse nobis reliquit in fœdus ætérnum.**

In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim, cum hora venísset
ut glorificarétur a te, Pater sancte,
ac dilexísset suos qui erant in mundo,
in finem diléxit eos:
et cenántibus illis

accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

**accépit panem, benedíxit ac fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:**

parum se inclinat:

Accípite et manducáte ex hoc omnes:
hoc est enim **Corpus meum,**
quod pro vobis tradétur.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.
Postea prosequitur:

Símili modo

accipit calicem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

**accípiens cálicem, ex genímine vitis replétum,
grátias egit, dedítque discípulis suis, dicens:**

parum se inclinat:

Accípite et bíbite ex eo omnes:
hic est enim calix Sánguinis mei
novi et ætérsni testaménti,
qui pro vobis et pro multis effundétur
in remissiónem peccatórum.

Hoc fácite in meam commemoratióñem.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus, Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Vel:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Unde et nos, Dómine,
redemptiónis nostræ memoriále nunc celebrántes,
mortem Christi
eiúsque descénum ad íferos recólimus,
eius resurrectiónem
et ascensiónem ad tuam déxteram profitémur,
et, exspectántes ipsíus advéntum in glória,
offérimus tibi eius Corpus et Sánginem,
sacrificium tibi acceptáble et toti mundo salutáre.

Réspice, Dómine, in Hóstiam,
quam Ecclésiæ tuæ ipse parásti,
et concéde benígnus ómnibus

qui ex hoc uno pane participábunt et cálice,
ut, in unum corpus a Sancto Spíritu congregáti,
in Christo hóstia viva perficiántur,
ad laudem glóriæ tuæ.

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiόnem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri **N.**,
Epíscopi nostri **N.**, et Episcopórum órdinis univérsi,
sed et totius cleri, et offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.

Meménto étiam illórum,
qui obiérunt in pace Christi tui,
et ómnium defunctórum,
quorum fidem tu solus cognovísti.

Nobis ómnibus, fíliis tuis, clemens Pater, concéde,
ut cælestem hereditátem cónsequi valeámus
cum beáta Vírgine, Dei Genetríce, María,
cum Apóstolis et Sanctis tuis
in regno tuo, ubi cum univérsa creatúra,
a corruptiόne peccáti et mortis liberáta,
te glorificémus per Christum Dóminum nostrum,

iungit manus:

per quem mundo bona cuncta largíris.

Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sǽculórum.

Populus acclamat:

Amen.

RITUS COMMUNIONIS

Calice et patena depositis, sacerdos, iunctis manibus, dicit:

Præcéptis salutáribus mónti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Extendit manus et, una cum populo, pergit:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatióne;
sed líbera nos a malo.

Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quás sumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri:
exspectántes beatam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus. Populus orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum,
et potéstas, et glória in sácula.

Deinde sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:

Dómine Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis:
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis:
ne respícias peccáta nostra,
sed fidem Ecclésiæ tuæ;
eámque secúndum voluntátem tuam
pacificáre et coadunáre dignéris.

Iungit manus.

Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum.

Populus respondet:

Amen.

Sacerdos, ad populum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Deinde, pro opportunitate, diaconus, vel sacerdos, subiungit:

Offérte vobis pacem.

Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant; sacerdos pacem dat diacono vel ministro. Deinde sacerdos accipit hostiam eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto:

Hæc commíxtio Córporis et Sánguinis
Dómini nostri Iesu Christi
fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam.

Interim cantatur vel dicitur:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

Quod etiam pluries repeti potest, si fractio panis protrahitur. Ultima tamen vice dicitur:
dona nobis pacem.

Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui ex voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu Sancto,
per mortem tuam mundum vivificásti:
líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Ságuinem tuum
ab ómnibus iniquitátibus meis et univérsis malis:
et fac me tuis semper inhærere mandátis,
et a te numquam separári permítta.

Vel:

Percéptio Córporis et Ságuinis tui, Dómine Iesu Christe,
non mihi provéniat in iudícium et condemnatióne:
sed pro tua pietáte proxit mihi ad tutaméntum mentis et córporis,
et ad medélam percipiéndam.

Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam te-
nens, ad populum versus, clara voce dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et una cum populo semel subdit:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Et sacerdos, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi. Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sánguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi. Postea accipit patenam vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur. Eo modo agit et diaconus, si sacram Communionem distribuit.

Dum sacerdos sumit Corpus Christi, incipit cantus ad Communionem. Distributione Communionis expleta, sacerdos vel diaconus vel acolythus purificat patenam super calicem et ipsum calicem. Dum purificationem peragit, sacerdos dicit secreto:

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus,
et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempítérnum.

Tunc sacerdos ad sedem redire potest. Pro opportunitate sacrum silentium, per aliquod temporis spatium, servari, vel psalmus aut canticum laudis proferri potest. Deinde, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant, nisi silentium iam præcesserit. Deinde sacerdos, manibus extensis, dicit orationem post Communionem. Populus in fine acclamat:

Amen.

RITUS CONCLUSIONIS

Sequuntur, si habendæ sint, breves annuntiationes ad populum. Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos benedicit populum, dicens:

**Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✕ et Spíritus Sanctus.**

Populus respondet:

Amen.

Quibusdam diebus vel occasionibus, huic formulæ benedictionis præmittitur, iuxta rubricas, alia formula benedictionis sollemnior. Deinde diaconus, vel ipse sacerdos, manibus iunctis, ad populum versus dicit:


Ite, missa est.

Populus respondet:

Deo grátias.

Deinde sacerdos altare osculo de more veneratur, ut initio. Facta denique debita reverentia cum ministris, recedit.

ORATIO UNIVERSALIS



Die 22 ianuarii

Beatæ LAURÆ VICUÑA

Ad Deum, fontem et originem bonorum omnium perfectorum, preces nostras fidenter effundamus, ut cunctis gentibus Evangelii nuntius proclametur.

R. *Salva populum tuum, Domine.*

1. Pro Ecclesia toto orbe diffusa: ut salutis nuntius suscipiat generoso liberoque animo per humani cultus atque vitae christianaem harmonicam compositionem, Dominum deprecemur.
2. Pro episcopis, presbyteris et christianis educatoribus: ut actuose versati in adulescentibus instituendis ad fidem, exhibeant praecaram speciem vitae, christiana spe ac laetitia, necnon bonis moribus et erga proximum caritatem refertam, Dominum deprecemur.
3. Pro sodalibus Institutum Filiarum Mariae Auxiliatricis et universae Salesianorum Familiæ: ut fideleriter suum charisma servantes novas in Ecclesia sanctitatis formas excitent intercessione et exemplo sancti Domingi Savio et beatæ Lauræ, Dominum deprecemur.
4. Pro adulescentibus: ut Verbo Dei fortificati et a Christo Domino efficaciter adiuti, suas libertatis et iustitiae vota ad actum deducere valeant per magnanimum studium ad civitatem magis aequam et fraternalm edificantem in vinculo pacis, Dominum deprecemur.
5. Pro nostra congregacione: ut per participationem ad eucharisticam cenan confirmetur nostra mens plane docilis Patris voluntati, qui nos monet ut sancti simus sicut Ipse est sanctus, atque ad fecundam et generosam actuositatem apostolicam explendam, Dominum deprecemur.
6. *Aliæ intentiones.*

Omnipotens et misericors Deus, qui in Ecclesia tua novas religiosas familias suscistasti, ad Evangelium Filii tui diffundendum, Spiritus donum super filios tuos effunde, ut ad actum propositorum amoris tui deducere valeant. Per Christum Dominum nostrum.

Die 22 ianuarii

Beatæ LAURÆ VICUÑA

Preces nostras, fratres et sorores in Dómino, ad Patrem fervénter extollámus, qui per Fílium suum Iesum Christum cooperánte Spíritus Sancti virtúte magna pergit operári in párvulis et humílibus.

R. Pater, exáudi nos.

1. Pro Ecclésia: ut sanctitatis itínera, actuósa et læta, filiis suis véluti mater amábilis semper indicáre non désinat, haud secus ac beátæ Lauræ, Dóminum deprecémur.
2. Pro nostræ ætatis homínibus: ut perféctæ vitæ christiánæ onerósa múnera suscípiant, virtútem imitántes ac generositatēm beátæ Lauræ, Dóminum deprécemur.
3. Pro familiis amóre caréntibus: ut mútuum consénum et donum fóveant per magis consciam navitátem educatívam erga filios, humanitatis novæ fundaménta, Dóminum deprecémur.
4. Pro adulescéntibus ad altióra propósita vocátis: ut respuéntes vitæ vácuæ tentatiónes animóse offícia sua quotidiána perficiant ad societátem humánam ædificándam in iustítia et pace, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobismetípsis hanc Liturgíam participántibus: ut eádem reférti caritaté, quæ beátam Lauram ímpulit ad suam vitam tradéndam pro familiáribus suis, cotídie vitam nostram ad Dei ac fratrū servítium impendámus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Deus, qui in párvulis et humílibus amóris tui latitúdinem maniféstas, efúnde super nos Spíritus tui dona, ut illúminans et vivíficans verbum tuum lætanter testificári valeámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 ianuarii

Sancti FRANCISCI DE SALES

Ad Deum Patrem omnipoténtem preces nostras humíliter et confidénter extollámus, ut, intercedénte beáto Francíscó de Sales, quod proclaimátum est Verbum vita nostra efficáciter perficiátur.

R. *Sanctifica pópulum tuum, Dómine.*

1. Pro epíscopis et pastóribus Ecclésiæ: ut Spíritu ducti, actuóse, patiénter et amánter pastorále suum munus expleant in ædificándis christiánis communitátibus, quæ étiam indifferéntibus, non credéntibus, desperátis homínibus páteant, Dóminum deprecémur.
2. Pro œcumenísmo: ut diálogus inter christiános diversárum confessiónum crescat per mútuam comprehensióñem, existimatióñem et fidúciam ad Christi Salvatóris nostri unitátem sincére quæréndam, Dóminum deprecémur.
3. Pro diurnáriis et scriptóribus ómnibus: ut munus suum exercéntes evén-tus intéllegant ad Evangélii lucem, atque cultúram ponant ad provehéndum hóminis íntegrum cultum, Dóminum deprecémur.
4. Pro Salesiána Família: ut sanctum Francíscum tamquam suum exémplar contemplétur eiúsque doctrínam ad actum cotídie dedúcat, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic adstántibus: ut imitántes sanctum Francíscum charísmata nostra ad regnum Dei provehéndum impendámus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Deus, qui amórem tuum in Sanctis, tuis servis et amícis, maniféstas, exáudi nostræ congregatióñis preces et cor nostrum áperi ad dona tua suscipiénda. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 ianuarii

Sancti FRANCISCI DE SALES

Ad Deum, qui sapiéntes et prudéntes magístros suscitávit in Ecclésia sua, preces nostras extollámus, doctrínam sequéntes sancti Francíscí de Sales.

R. Dírige nos, Dómine, in viam salútis.

1. Pro Ecclésia sancta Dei: ut Dóminus pastóres iuxta cor suum tríbuat, qui dóciles sint Spirítui, fidéles dispensatóres Verbi et Sacramentórum, orémus.
2. Pro sodálibus diversárum confessiónum christianárum: ut animóse viam reconciliatiónis quærant ad unitátem univérsæ famíliæ humánæ ædificán-dam, orémus.
3. Pro christifidélibus: ut cotídie testes sint resurrectiōnis, ad diffundén-dam in mundo sapiéntiam evangélicam, orémus.
4. Pro Família Salesiána: ut in actum dedúcat doctrínam sancti Francíscí pro adulescéntibus paupéribus et indigéntibus, orémus.
5. Pro nobis hic adstántibus: ut Spíritus sancti doni suffúlti Deum super ómnia et próximum tamquam nosmetípsos diligére valeámus, orémus.
6. *Aliæ intentiones.*

Deus, qui nobis in sancto Francíscó exémplum vivum pietátis tuæ propónis, concéde, quás sumus, ut qui venerántur eum magístrum et patrónum providéntiam tuam amábilem experiántur. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 31 ianuarii

Sancti IOANNIS BOSCO

Festum celebrantes sancti Ioánnis, iúvenum patris et magístri, fratres caríssimi, preces nostras ad Deum Patrem extollámus, qui filiórum suórum vocem semper exáudit.

R. *Te rogámus, audi nos.*

1. Pro summo pontífice, epíscopis, presbýteris et diacónibus: ut evangélium veritátis et lætítiae proclámēt generóso suæ vocationis testimónio, orémus.
2. Pro homínibus bonæ voluntátis: ut eórum návitas ad mundum magis humánum configurándum innitátur caritáte magnánima et generósa, orémus.
3. Pro Salesiánis et Fíliis Maríæ Auxiliatrícis: ut sanctum Ioánnem Bosco imitántes vitam pro adulescéntibus totam impéndant, atque ad ingénuam Christi imáginem confórment, orémus.
4. Pro adulescéntibus derelíctis, neglécitis, fátuis voluptátibus alienátis: ut ad quémlibet sancti Ioánnis Bosco sodálem accédentes, amícum se invenísse experiántur, qui vitam eórum secúndum Evangélium conformáre váleat, orémus.
5. Pro ómnibus christiánis adulescéntium institutóribus: ut suum sanctum patrónum hábeant magístrum et ducem, ad suam expléndam missiónem, orémus.
6. Pro nobis hic adstántibus: ut evangélica præcépta mútuæ hospitalitatis cotídie ad actum deducámus et ita a Dómino súscipi mereámur, orémus.
7. *Aliæ intentiones.*

Deus, semper fidélis, qui sancto Ioánni Bosco cor magnánimum et generósum tribuísti, preces nostras exáudi, ut Spirítui tuo dóciles, quæ tibi fidéliter implorámus, cotídie vita nostra compleámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 31 ianuarii

Sancti IOANNIS BOSCO

Fratres, festum celebrantes sancti Ioánnis Bosco, Ecclésiæ fidélis adminístri et adulescéntium magístri, preces nostras ad Deum bonitátis et misericordiárum patrem, fidénter effundámus.

R. Dírige nos, Dómine, in viam salútis.

1. Pro Ecclésia: ut Dóminus, qui viros mittit sanctos secúndum témporum necessitátes, in Ecclésia quoque tempóribus nostris apóstolos fervéntes, fídei magístros atque spiritáles duces súscitet, orémus.
2. Pro ecclesiálibus communitátibus: ut omne genus egoísmi superántes, animóse pro paupéribus, infírmis, negléctis cunctis, vitam impéndant, orémus.
3. Pro adulescéntibus: ut instituántur ad veras intellegéndas históriæ huius témporis necessitátes seséque audácter vóveant ad ædificándum mundum futúrum magis humánum et christiánum, orémus.
4. Pro paréntibus et institutóribus: ut famílias, parcéncias, scholas ádiuvent ad augéndam mútuam responsabilitátem in instituéndis adulescéntibus et iuvénibus, orémus.
5. Pro Família Salesiána: ut signa téporum perscrútans exémplo sancti Ioánnis Bosco animóse se vóveat ad plenam hóminis salútem, orémus.
6. Pro nobis hic adstántibus: ut semper quærámus quæ vera, iusta, sancta sunt, nostrámq[ue] vitam gratiárum actiónem ad Patrem efficiámus, orémus.
7. *Aliæ intentiones.*

Deus Dóminus noster, præsta nobis actuósam fidem et infinítam caritátem, ut in cotidiánæ vitæ condiciónibus nosmetípsos tamquam signa et præcónes amórís tui erga adulescéntes exhibére valeámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 1 februarii

In Commemoratione omnium Sodalium defunctorum Societatis sancti Francisci de Sales

Fratres, per Christi mortem spes resurrectiōnis in nostra quoque morte refūsit: ídeo Deum patrum nostrorum invocémus prēcibus fide inspiratis.

R. *Vivificans Dómine, exáudi nos.*

1. Pro pôpulo sancto Dei: ut testétur victoriā Christi de morte, et vitam dignitatēmque humánam actuóse fóveat, Dóminum deprecémur.
2. Pro Salesiána Societáte: ut sit fidélis sancto Ioánni Bosco per memoriā vivam fratrū qui præcessérunt nos cum signo fídei, Dóminum deprecémur.
3. Pro nostræ missiónis destinatáriis: ut possímus véluti servi vigilantes operári in præséntis vitæ condiciónibus ad lucem mystérii mortis et resurrectiōnis Christi, Dóminum deprecémur.
4. Pro frátribus nostris qui obdormiérunt in Christo: ut áudiant læta Evangelii verba: “Euge, serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui”, Dóminum deprecémur.
5. Pro frátribus qui auctoritatis ministérium exercuérunt, qui cruciátus sunt passi in corpore et spíritu, qui humilióra offícia perfecérunt: ut veritatem verbórum experiántur: “Veníte in Regnum quod parátum est vobis”, Dóminum deprecémur.
6. Pro nobis ad mensam Verbi et Panis Dómini accédéntibus: ut cum ómnibus frátribus fidem resurrectiōnis participémus per iustitiæ et caritatis ópera, Dóminum deprecémur.
7. *Aliæ intentiones.*

Réfove in nobis, Dómine, resurrectiōnis exspectatiōnem et præsta ut vita nostra testes simus spei, quam in corde gérimus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 1 februarii

**In Commemoratione
omnium Sodalium defunctorum
Societatis sancti Francisci de Sales**

Fratres, mortis mystérium meditántes, consolátur nos magna spes: óculi nostri Dei vultum intuebúntur, et nos símiles ei érimus et cantábimus semper eius laudes. Hac fide firmáti extóllimus fidénter precem nostram.

R. *Dómine, in te sperámus.*

1. Pro christiánis communitátibus: ut memóriam recoléntes pastórum et fratrū defunctórum ómnibus homínibus cælos novos et terram novam prænúntient, quæ Deus parávit diligéntibus eum, Dóminum deprecémur.
2. Pro Família Salesiána: ut ad humánum et christiánū cultum provehéndum rebus huius mundi fruátur tamquam sint prænúntiæ novórum cælórum et terræ novæ, Dóminum deprecémur.
3. Pro frátribus nostris defúnctis, qui sunt regeneráti in fonte baptísma-tis et signáculum Spíritus recepérint: ut Dóminus suscípiat eos in lucis et pacis regnum, Dóminum deprecémur.
4. Pro frátribus nostris defúnctis, qui nutríti sunt ad mensam Verbi et Panis vitæ, suámque vitam Christo oboediénti, páuperi et casto conformá-vérunt: ut Deus eórum præmium sit et gáudium sine fine, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic adstántibus: ut participántibus domínicam cenam grá-tiam quoque nobis Deus tríbuat vivéndi atque moriéndi in fide, quam in Baptísmo recépimus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Súscipe, Pater sancte, preces commúnes quas tibi extóllimus: frátribus nostris defúnctis præmia tríbue iustórum et nobis quoque quam suscépimus perfícere missiónem. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 12 martii

Beati ALOISII ORIONE

Dóminus éxcitat sanctos viros qui coram pôpulo suo exstent exemplária et intercessóres. Quásumus fidéntur ut Ipse concédat quæ fide pétimus ad verum bonum nostrum.

R. Dómine sancte et fons sanctitatis, exáudi nos.

1. Pro Ecclésia: ut in cultu humáno et christiáno provehéndo oppréssos, húmiles, derelíctos antepónat, Dóminum deprecémur.
2. Pro mundi salúte: ut per Christi redemptiónem extinguátur malum, vúlnera sanéntur, genus omne cupiditatis nostri vincátur, Dóminum deprecémur.
3. Pro christifidélibus: ut óperam impéndant ad dolóris et solitúdinis pondus sublevándum eórum ómnium qui mínime diligúntur, Dóminum deprecémur.
4. Pro frátribus ómnibus qui in dolóre versántur: ut (præsértim hoc quadragesimáli tempore) vivum et operántem séntiant Christum médicum animárum et cárporum nostrórum, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic adstántibus: ut fidéliter evangélica præcépta servántes per hanc Eucharístiam virtútem necessáriam sumámus ad misericórdiæ ópera explénda, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Dómine, Deus noster, qui numquam Ecclésiam tuam fidis discípulis destitútam reliquísti, Christi Fílii tui, qui ómnibus ómnia factus est, præsta, quásumus, ut intercedénte beáto Aloísio Orione, étiam nos præséntiam tuam patérnam constánter experíri valeámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 6 maii

Sancti DOMINICI SAVIO

Verbo Dei illumináti, qui ad peculiárem sanctitatis ratiónen consequéndam nos mittit inter adulescentes, Dóminum Patrem nostrum bonorum fontem ómnium, deprecémur.

R. Pater sancte, fons sanctitatis, exáudi nos.

1. Pro ómnibus qui vocáti sunt ad fidem proclaimándam et augéndam in communitátibus christiánis: ut exémplo Domíni Savio bonum quærant animárum, Dóminum deprecémur.
2. Pro paréntibus et educatóribus: ut exémplo sancti Ioánnis Bosco áduvent adulescentes in eórum humáno et christiáno increménto, Dóminum deprecémur.
3. Pro adulescentibus: ut iuventútem suam seréno ac læto ánimo vivant atque impéndant in fratrum bonum, Dóminum deprecémur.
4. Pro nobis hic adstántibus: ut intercessióne et exémplo sancti Domíni ci peccátum constánter vitémus et in Dei amóre sédulo crescámus, Dóminum deprecémur.
5. Pro ómnibus nobis hic adstántibus: ut apostólica návitas per própriam aucta indústriam in Ecclésia locálí semper parátos nos invéniat, concórdes in agéndo et spe christiána confirmátos, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Dómine Deus noster, qui Evangélii virtútem in sanctis tuis poténter maniféstas, Ecclésiæ tuæ filiis præsta, ut eórum sequéntes præcépta eándem partícipent gloriæ corónam in cælis. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 6 maii

Sancti DOMINICI SAVIO

Ad Dóminum, misericordiárum Patrem, qui per resurrectiōnem Christi Fílli sui novam nobis tríbuit vitam, súpplices preces nostras extollámus.

R. Pater, confirma nos in fide.

1. Pro Ecclésiæ pastóribus: ut in suo ministério semper antepónant sanctificándi pópuli Dei offícium, Dóminum deprecémur.
2. Pro educatóribus salesiánis: ut actuósa navitáte et firma patiéntia humánam et christiánam adulescéntium institutiōnem promóveant, Dóminum deprecémur.
3. Pro adulescéntibus: ut ad sua quæque perficiénda cotidiána offícia institúti, ad futúra quoque suscipiénda rite paréntur, Dóminum deprecémur.
4. Pro iuvénibus: ut amicítiaæ bona ediscéntes omnes súperent præclusiónum tentatiōnes seséque magnánime vóveant ad próximi necessitatēs subleváandas, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic sancte convocátis: ut exémplo sancti Domínici sapiénter et conscie bonis utámur quibus Deus nostrum quemque prædidit, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Deus, qui lætitiæ es fons erga diligéntes te, Ecclésiæ tuæ húmilem precem exáudi, ut, te adiuvánte, ómnia vitæ nostræ témpora in laudem perénnem gloriæ tuæ evádant. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 maii

Sanctæ MARIÆ DOMINICÆ MAZZARELLO

Fratres et sorores, gratiarum actiones Deo Patri, qui est in cælis, exhibentes propter mirabilia quæ operatus est in sancta María Domínica Mazzarello, eius amoris dona pro Ecclésia, pro cunctis hominibus, pro omnibus nobis fidenter implorémus.

R. *Dómine sancte, exaudi nos.*

1. Pro Ecclésia toto orbe diffusa: ut Spirítui sancto dóciliis Evangélii virtutem suscipiat ad nostris tēporis culturas in mélius mutandas, Dóminum deprecémur.
2. Pro christiánis institutóribus: ut animose ducant adulescentes nostri tēporis ad magis cónciam fídei perfectiōnem eósque vividius exérceant in christiánis virtutib⁹, Dóminum deprecémur.
3. Pro muliérib⁹: ut óperam suam navent ad solvendas quæstiōnes vitales nostri tēporis atque ad fovendam societatem magis æquam, quæ initiatur magnis bonis vitæ et humanae consortiōnis, Dóminum deprecémur.
4. Pro Fíliis Maríæ Auxiliatricis: ut exémplo sanctæ Maríæ Domínicæ Mazzarello áugeant communionem suam cum Christo, Spíritus mórib⁹ sint dóciles atque sédulo operéntur ad iúvenum bonum sibi commissórum, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hanc Eucharístiam participántibus: ut ex hoc vitæ fonte inexhausto virtutem hauriámus ad Dei voluntatem lætanter adimpléndam, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Suscipe Pater quas deférimus preces in sollemnitate (*festo*) sanctæ Maríæ Domínicæ Mazzarello et præsta nobis celebrantibus mystérium eius renovatæ in Christo humanitatis, ut fidéliter adimpléntes nostri baptísmi officia, mente et ópere tibi placere possimus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 maii

Sanctæ MARIÆ DOMINICÆ MAZZARELLO

Ad Deum Patrem nostrum, qui revélat párvulis et humílibus Evangélii di-vítias, fidénter et amánter preces nostraras extollámus.

R. Rénova nos, Pater, in spíritu tuo.

1. Pro Ecclésia: ut Spirítui dócilis et inténta, signa témporis intéllegat, regni Dei advéntum flagitántia, Dóminum deprecémur.
2. Pro Familiæ Salesiánæ sodálibus: ut exémplo sanctæ Mariæ Domíni-cæ Mazzaréllu ardénter vivant consecratióne suam erga Deum et fratres, Dóminum deprecémur.
3. Pro Fíliis Mariæ Auxiliatrícis: ut fidéles Fundatrícis spirítui vocatió-nem suam vivant per actuósum servítium erga nostri témporis Ecclésiam, Dóminum deprecémur.
4. Pro adulescéntibus: ut Evangélii Christi liberántem experiántur virtú-tem fortésque vitæ humánæ et christiánæ persuasiónes éxcolant, Dóminum deprecémur.
5. Pro nostra congregatióne: ut participántes unam Verbi et Panis vitæ cenam víncula fraternitátis et communiónis ad bonum societátis roboré-mus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Exáudi, Pater, preces nostraras et præsta, ut qui sanctórum, te auctóre, ma-gnália célebrant, in tua caritaté perseverántes, per virtútem sancti Spíritus proclamémus Verbum tuum, Iesum Christum, Fílium tuum et Dóminum nostrum.

Die 19 maii

Sancti LEONARDI MURIALDO

Fratres caríssimi, suáviter allécti infinítā et personálī Dei caritáte, qua nostrum quemque díligit, preces nostras fervénter ad eum extollámus, intercedénte sancto Leonárdo Muriáldo.

R. Exáudi nos, Dómine, per caritátem tuam.

1. Pro Summo Pontífice et ómnibus Epíscopis: ut ministérium suum apostólicum fidéliter exsequéntes sollícita caritáte pópulum Dei ducant, Dóminum deprecémur.
2. Pro opifícibus ómnibus: ut iuxta evangélica præcépta hóminis christiánam dignitátem fóveant in iustítia et caritáte, Dóminum deprecémur.
3. Pro adulescéntibus: ut in dies copiosiores respóndeant Christo vocánti eos ad vitam impendéndam in fratum cōmodum, Dóminum deprecémur.
4. Pro christiánis communitátibus: ut certa Dei dilectione inníxæ vitæ difficultátes súperent per serénam eius voluntáti receptionem, Dóminum deprecémur.
5. Pro ómnibus qui in políticis, sociálibus atque corporátis navitátibus versántur: ut societátem magis æquam et fratérnam ædificent, Dóminum deprecémur.
6. Pro nostra congregatióne: ut mystério renováti, quod celebrámus, fortes in fide et in caritáte maneámus, Dóminum deprecémur.
7. *Aliæ intentiones.*

Concéde, omnípotens Deus, ut intercedénte sancto Leonárdo Muriáldo, qui per consecratióne et perféctam in te deditiónem bonum fovit pópuli tui, preces nostras exaudíri mereámur. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 maii

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, titulo AUXILIUM CHRISTIANORUM

Plenam grátia vóluit Deus Matrem Fílii sui. Preces nostras extollámus ut partícipes fieri dignétur divitiárum harum Ecclésiam et omnes hómines bonæ voluntátis.

R. *Prótege, Dómine, Ecclésiam tuam.*

1. Pro Ecclésia sancta Dei toto orbe diffusa: ut Spíritus Parácliti præséntia roboráta, vitam suam confórmet Evangélio quod proclámat, Dóminum deprecémur.
2. Pro pace inter gentes: ut cunctis divisiónis genéribus superátis diversíque recéptis cultúris, promoteántur fundamentália bona familiæ humánæ, Dóminum deprecémur.
3. Pro Família Salesiána: ut cotídie rénovans devotiónem suam erga Vírginem Auxiliatrícem novas virtútes acquírat ad suam in Ecclésia et in societáte missióнем prosequéndam, Dóminum deprecémur.
4. Pro ómnibus qui insérviunt sénibus, ægrótis, derelíctis: ut Maríam sequéntes signum fiant Christi sollicitúdinis erga fratres, Dóminum deprecémur.
5. Pro paréntibus: ut sequéntes Nazarethánæ Familiæ lucem sapiénter filios instítuant ac ádiuvent ad humánum christianúmque increméntum perficiéndum, Dóminum deprecémur.
6. Pro nobis hanc festivitátem celebrántibus: ut Vírginis Maríæ exémpla sequéntes esse possímus perseverántes in fide, fortes in spe, séduli in caritáte, Dóminum deprecémur.
7. *Aliæ intentiones.*

Deus, qui beátam Vírginem Maríam sóciam esse voluísti redemptiónis Christi Fílii tui, ea auxiliánte, exáudi filiorum tuórum vota, ut dóciles Spíritui cotídie fidelitátem suam erga Evangélium váleant testári. Per Chri-stum Dóminum nostrum.

Die 24 maii

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, titulo AUXILIUM CHRISTIANORUM

Fratres caríssimi, preces nostras ad Deum Patrem extollámus, qui vóluit Maríam esse adiutricem salvíficæ missiónis Fílii sui.

R. Exáudi, Dómine, preces nostras.

1. Pro Ecclésia, itineránte pôpulo Dei: ut semper Maríam sequátur tamquam exémplar vitæ et sollíciti auxílii ad suam missiónen perficiéndam, Dóminum deprecémur.
2. Pro Summo Pontífice et pastóribus animárum nostrárum: ut in múnere Evangélii nuntiándi Maríæ se vóveant evangelizatiónis stellæ, Dóminum deprecémur.
3. Pro politicis moderatóribus: ut munus suum cónpleteant Maríam intuéntes Dei voluntáti semper oboediéntem ad mundi salútem, Dóminum deprecémur.
4. Pro Família Salesiána: ut vivat et operétur secúndum spíritum beatitudinum in Ecclésia nostri témporis, Dóminum deprecémur.
5. Pro adulescéntibus, afflíctis præcipue ac spe destitútis: ut intellegant Maríam esse matrem sollícitam boni filiórum suórum eíque se commíttant spei, communiónis et pacis fonti, Dóminum deprecémur.
6. Pro nobis hic adunátis in festo Vírginis Auxiliatrícis: ut semper experiámur eius auxílium matérnum, pignus pacis, lætítiae ac acceptatiónis Dei voluntatis, Dóminum deprecémur.
7. *Aliæ intentiones.*

Deus, misericordiarum Pater, preces nostras exáudi et intercedénte Beáta María Vírgine, Christianórum Auxiliatríce, præsta ut in fide, spe, caritáte ita incedámus ut cotídie in tua voluntáte maneámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 23 iunii

Sancti JOSEPH CAFASSO

Deus sanctos suos súscitat ut vivéntia signa Christi et Spíritus mirabília.
Verbo Dei adiúti preces nostras extollámus.

Ry. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

1. Pro Ecclésiæ pastóribus, presbýteris et diacónibus: ut semper fratres bonitáte, patiéntia et sapiéntia suscípiant ad increméntum ómnium chri-stianárum communitátum fovéndum, Dóminum deprecémur.
2. Pro frátribus et soróribus, quibus óbviam venímus: ut invéniant apud nos semper indulgéntiam et auxílium, Dóminum deprecémur.
3. Pro ómnibus qui in Ecclésia munus institutiónis exércent: ut mentem et cor illúminent imitántes sanctum Ioséph Cafásso, Dóminum deprecémur.
4. Pro ómnibus qui Verbi et reconciliatiónis munus susceptúri sunt: ut Christum imitén-tur, qui venit ad sanánda corda demíssa ac remissióne indigéntia, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hanc Eucharístiam participántibus: ut Verbo nutrití et a vi-tæ Pane adiúti in dies promptiòres et apertiòres ad fratrūm necessitátes fíeri valeámus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Réspice, Pater, Ecclésiam tuam, in sanctis celebrántem sanctitatis et grá-tiæ mirabília tua, et præsta, ut in viam evangélicam cotídie incedámus. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 24 octobris

Beati ALOISII GUANELLA

In hoc mundo ab Evangélio alienáto, qui veros testes desíderat, preces nostraras ad Deum bonum et misericórdem extollámus, ut semper Ecclésia caritatis apóstolis abúndet.

R. Per misericórdiam tuam exáudi nos, Dómine.

1. Pro Ecclésia ut Dóminus súscitet viros et mulieres, qui vitam suam ex-péndant pro neglécitis et magis derelíctis, Dóminum deprecémur.
2. Pro natiónum moderatóribus: ut spíritu servítii imbúti univérsæ natiónis bonum commúne promóveant ac incépta pro egéntibus fóveant, Dóminum deprecémur.
3. Pro víctimis ódii et violéntiæ: ut invéniant in Christi morte et resurrectiōne vim ignoscéndi et sperándi in societátem magis æquam et humánam, Dóminum deprecémur.
4. Pro adulescéntibus: ut sint paráti ad ministérium actuósum et liberále præbéndum eis ómnibus, qui magis egéntes sunt, Dóminum deprecémur.
5. Pro Congregatiōnibus misericórdiæ opéribus déditis: ut exémplo beáti Aloísii Guanélla testéntur caritátem pro Ecclésia et univérsa communi-táte humána, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Exáudi, misericordiárum Pater, preces quas tibi, ut filii tui, extúlimus, intercedénte Aloísio Guanélla, caritatis indeféssæ apóstolo. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 29 octobris

Beati MICHAELIS RUA

Vocáti a Christo ut simus sal terræ et lux mundi fidénter preces nostras ad Patrem extollámus.

R. *Prótege, Dómine, filios tuos.*

1. Pro Ecclésia sancta Dei: ut renovétur cotídie per sanctitátem ómnium filiórum suórum, Dóminum deprecémur.
2. Pro societáte nostri témporis: ut cuncti hómines fugátis tentatióibus atheísmi et voluptáibus magisque gaudéndi, óperam navent in ædificánda cotidiána vita iuxta evangélica præcépta, Dóminum deprecémur.
3. Pro moderatóribus Societátis Salesiánæ: ut fidéles intérpretes sint sancti Ioánnis Bosco charísmatis, Dóminum deprecémur.
4. Pro adulescéntibus: ut fraterne adiuvántibus institutóribus crescant in ætáte sapientia et grátia coram Deo et homínibus, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hanc sanctam Eucharístiam celebrántibus: ut dum Regnum ventúrum expectámus signa téporum perlégere valeámus ad obviándum Dómino in cunctis frátribus, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Exáudi, Pater, preces familiæ tuæ et præsta, ut digne incedéntes in suscépta vocatióne, fructus afferámus bonórum óperum. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 29 octobris

Beati MICHAELIS RUA

Memóriam celebráentes beáti Michaélis Rua preces nostras fidénter elevémus ad Deum Patrem, fidelitátem erga Evangélium implorántes pro nobis et pro baptizátis ómnibus.

Rv. Rénova cor nostrum, Dómine.

1. Pro Ecclésia: ut fóveat caritátem inter fílios suos atque sanctórum exémpia efficáciter ad conversiónem et spíritus renovatióne addúcant, Dóminum deprecémur.
2. Pro ómnibus homínibus: ut divíno consílio respondéntes sóciām præstent óperam ad expolitióne humanitatis universárum culturárum atque progréssum fóveant facultátum in natúra insitárum ad íntegrum hóminis cultum promovéndum, Dóminum deprecémur.
3. Pro Família Salesiána: ut fidelitátem servans sancto Ioánni Bosco misiónem suam perfíciat pro adulescéntibus egentióribus et magis derelictis, Dóminum deprecémur.
4. Pro adulescéntibus: ut magnánime suscípiant evangélicum núnctium atque idem actuóse perfíciant per christiánam vitam, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic sancte congregátis: ut dóciles Spirítui Verbum Dei suscipiámus, quod nos cotidiáno sustíneat in vitæ nostræ christiánæ itínere, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Audi, Pater, familiæ tuæ vocem, ut quæ auxílium tuum confidénter exspéctat, beneficiórum tuórum abundántiam sortiátur. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 novembris

Beatorum ALOISII VERSIGLIA et CALLISTI CARAVARIO

Fratres (et sorores), preces nostras ad Deum Patrem dirigámus, ut intercedéntibus sanctis martyribus, nos quoque, eius grátia, virtútem Spíritus, semper in Ecclésia operántis, testémur.

R. *Per intercessiónem mártirum tuórum salva nos, Dómine.*

1. Pro Ecclésia sancta Dei: ut mártirum sacrificio roboráta magis in dies inserátur in Redemptiónis mystério per crucem, Dóminum deprecémur.
2. Pro Epíscopis, presbýteris et diacónibus: ut ministérium suum cómpleant animóse et authéntice propter regni Dei advéntum et diffusiónem, Dóminum deprecémur.
3. Pro missionáriis et catechístis: ut Evangélium totum serant in corde hóminis, veritátem, iustítiam et pacem quæréntis, Dóminum deprecémur.
4. Pro vocátis ad presbyterátum et ad vitam consecrátam: ut Christi vocem exáudiant et seípsos totos Ecclésiæ tradant, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hanc participántibus Eucharístiam: ut per fidem superántes cotidiánas difficultátes adimpleámus quæ desunt Passióni Christi pro Ecclésiæ vita, eius mýstici córporis, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Pater, qui beátis martyribus Aloísio et Callísto virtútem tribuísti ut vitam suam tráderent propter Evangélii tui testimónium, rénova étiam nos per Spíritum tuum, ut magis fidéles discípuli tui inveniámur. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 13 novembris

Beatorum ALOISII VERSIGLIA et CALLISTI CARAVARIO

Membra cum simus peregrinántis Ecclésiæ communicámus cum frátribus cælestis Ecclésiæ et necessitátes nostras eis commíttimus. Elevémus ígitur ad Deum Patrem nostrum supplicatiónes nostras per intercessiónem sanctórum mártyrum Aloísii Versíglia et Callísti Caravário.

R. Advéniat Regnum tuum, Dómine.

1. Pro Ecclésia sancta Dei: ut magis in dies fúlgeat in fide et vitæ sanctitáte, exémplo sanctórum mártyrum, Dóminum deprecémur.
2. Pro christiánis diversárum confessiónum: ut pénitus adhæréntes Christo atque diálogum fovéntes viam unitátis in una Ecclésia invéniant, Dóminum deprecémur.
3. Pro rerum publicárum moderatóribus: ut bonum commúne promóveant iúribus servátis humánis et præsértim iure serváto religiósæ libertatis, Dóminum deprecémur.
4. Pro Família Salesiána: ut sancti Ioánnis Bosco pastorále prodúcens opus, renováta mente et ánimo Evangélium toto orbe diffúndat, Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hic adunátis: ut vita nostra proclamémus beatitúdinem, quæ promíttitur eis qui pro fide persecutióne patiúntur, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Pater sancte, qui beátis Aloísio et Callísto virtútem tribuísti sequéndi Fílium tuum usque ad crucem, preces nostras exáudi et præsta, ut Spíritu sanctitátis tuæ roboráti, fructus afferámus ad ædificándum Regnum tuum. Per Christum Dóminum nostrum.

Die 5 decembris

Beati PHILIPPI RINALDI

Ad Deum, qui in Salesianórum Família clara sanctitatis suscitávit exémp-
pla, quæ sunt Spíritus Parácliti multifórmis actiōnis simúlque Fundatórís
charísmatis fructus, létánter et fidénter preces nostras extollámus.

R. Dírige nos, Dómine, in vias sanctitatis.

1. Pro Ecclésia, Pópulo Dei: ut per fidem castam et immaculátam agnó-
scat et suscípiat Dóminum in divérsis et instántibus vitæ et históriæ condi-
ciónibus, Dóminum deprecémur.
2. Pro moderatóribus religiosárum familiárum: ut fidelitátem servántes
Evangélío et fundatórum suórum charísmati communitátes suas reddant
signum vivens amóris Christi et fratrum susceptiōnis, Dóminum de-
precémur.
3. Pro Societáte Salesiána: ut vestígia sequens beáti Philíppi Rináldi ac-
créscat in dies apostólicam navitátem et respondére váleat divérsis necessi-
tibus, quæ premunt Ecclésiæ et societátis nostri témporis vitam, Dóminum de-
precémur.
4. Pro sancti Ioánnis Bosco Voluntáriis muliéribus: ut, suis offíciis quo-
tidíanis fidéles manéntes, spíritum beáti Philíppi, Fundatórís sui, custódiant,
Dóminum deprecémur.
5. Pro nobis hanc participántibus Eucharístiam: ut renováti in spíritu sem-
per operémur cum dilectiōne et simplicitáte cordis, quæ résonant Dei pa-
ternitátem, Dóminum deprecémur.
6. *Aliæ intentiones.*

Pater bonitatis fons et misericordiárum, qui Ecclésiam semper rénovas per
filiórum tuórum sanctitátem, audi preces nostras, ut per virtútem Spíritus
tui suscípere et nuntiáre Verbum, Fílium tuum, mereámur, hortántem nos,
ut sancti simus sicut sanctus es tu Deus, qui vivis et regnas in sácula sæ-
culórum.

INDEX

| | |
|--|----------|
| Decretum Rectoris Maioris | 5 |
| Decretum Congregationis de Cultu divino et disciplina Sacramentorum | 7 |
| Calendarium | 8 |

MISSÆ PROPRIÆ

| | |
|--|----|
| 22 ianuarii: Beatæ Lauræ VICUÑA | 13 |
| 24 ianuarii: Sancti Francisci de SALES | 18 |
| 31 ianuarii: Sancti Ioannis BOSCO | 25 |
| 1 februarii: In Commemoratione omnium Sodalium defunctorum Societatis Sancti Francisci de Sales | 31 |
| 12 martii: Beati Aloisii ORIONE | 37 |
| 6 maii: Sancti Dominici SAVIO | 38 |
| 13 maii: S. Mariæ Dominicæ MAZZARELLO | 46 |
| 19 maii: Sancti Leonardi MURIALDO | 54 |
| 24 maii: BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, titulo Auxilium Christianorum .. | 59 |
| 23 iunii: Sancti Joseph CAFASSO | 65 |
| 24 octobris: Beati Aloisii GUANELLA | 70 |
| 25 octobris: In Anniversario Dedicationis ecclesiæ propriæ | 73 |

| | |
|---|----|
| 29 octobris: Beati Michælis RUA | 74 |
| 13 novembris: Beatorum Aloisii VERSIGLIA et Callisti CARAVARIO .. | 79 |
| 5 decembris: Beati Philippi RINALDI | 84 |

ORDO MISSÆ

| | |
|-----------------------------|-----|
| Ritus initiales | 91 |
| Liturgia Verbi | 95 |
| Liturgia eucharistica | 98 |
| Prex eucharistica I | 101 |
| Prex eucharistica II | 107 |
| Prex eucharistica III | 111 |
| Prex eucharistica IV | 115 |
| Ritus communionis | 120 |
| Ritus conclusionis | 124 |

| | |
|---------------------------------|-----|
| ORATIO UNIVERSALIS | 125 |
|---------------------------------|-----|

| | |
|--------------------|-----|
| INDEX | 150 |
|--------------------|-----|

Coordinamento:
Manlio Sodi
Biagio Amata

Progetto grafico e impaginazione:
Marino Ferrari

Realizzazione:
Editrice VELAR spa - Gorle (BG)

Finito di stampare nel mese di novembre 1990
dalla Litonova srl, Scanzorosciate (Bergamo)

